





JOSEPHI SCHNEIDER

PRAEPOSITI CAPITULI TERGESTINI

CARMINUM


LIBRI OCTO

(Lucra dabuntur puellis orphanis.)

TERGESTI

TYP. BALESTRA ET SOC.

1878



EDIDIT JOSEPHUS SCHNEIDER

Nunc vos ite precor, mea linquite limina versus,
Ite bonis avibus, dixisset Horatius olim:
Lux tenebras pepulit, verbis melioribus utar:
Ite favente Deo, qui vos tueatur ubique!
Jam multis annis (novi) latuistis inertes,
Urget iter tandem, varias nunc ite per urbes.
Quaerent ex vobis, qui sitis, verba referte:
Carmina concinimus Latii sermone verendo,
Temporibus priscis Orbis moderatus habenas
Nunc sermo Sponsae, cui Christus jungitur Agnus.
Accedent vobis, quaerent: Quae carmina fertis?
Reddite verba citi: Canimus pia carmina cordis!
Nos mansura tenent, fidibus celebrare caduca
Fervida corda vetant, Deus unus carmine dignus.
Objicient vobis: Cui carmina vestra patebunt?
Verba latina datis cunctorum impervia menti;
Anxia cura procul, Domino confidite semper,
Accedant pauci, paucis prodesse voluptas.
Si quis vos justo reprehenderet ore magister,

Nolite irasci naevosque repellite vestros;
Ast inimica cruci si temneret aspera linguâ,
Dicite: Quid prodest vobis sapientia demens?
Sed prodest nobis sapiens dementia Christi!
Carmina sint odio — poscunt alimenta puellae,
Quarum sunt rapti crudeli morte parentes!

TERGESTI, 4 Augusti 1878.

JOSEPHUS SCHNEIDER

ODE I.

ROMA.

Tibi dabo claves regni coelorum. (Matth. 16, 19).

Roma, te Petrus melior Quirino
Esse reginam dedit ac magistram,
Tu Caput mundi, pretiosa cedant
Sceptra tiarae.

Jura dat Caesar simul ac tuetur,
Litteras, artes fovet, arva, naves,
Barbaros arcet, cavet et quieti
Criminis ultor.

Roma, tu felix potiore meta
Pellis errores adytonque veri
Pandis, et culpas glacie soluta
Arbitra deles.

Rex jubet: civis facit imperata,
Qui jugo tantum sua colla subdit;
Roma fert leges, sibi colla flecti
Cordaque poscit.

Compedes, mulctae, exilium, secures
Sontibus poenae fugientis aevi:
Claudit aeternum Deus ipse coelum
Judice Roma.

Major arbustis caput alta tollit
Quercus annoso veneranda trunco:
Principes inter senio coruscat
Roma minores.

Alvei, montes, mare, pacta, bella
Terminum regnis posuêre cunctis:
At Petri Sedi sine fine totus
Traditur Orbis.

Tigridem, Calpen, Libyam atque Rhenum
Caesares vasto tetigêre sceptro;
Gallus Europam sibi turbulentis
Subdidit armis:

Imperat Petrus... Boreasque paret,
Eurus assurgit, Zephyrus Notusque...
Unus in terra dominator idem
Urbis et Orbis.

Cuncta labuntur: tremuêre fractae
Timuris gentes Arabumque turmae;
Miscuit terram, siluit remota
Corsus in ora;

Vix *Pius Magnus* jacet in sepulcro,
Illico surgit *Leo* (nomen omen),
Lumen in coelo... reserare tanta
Verba quis ausit?

Urbis aeternae reverere fata...
Donec in coelo radiabit ignis,
Roma regnabit, reducique tradet
Sceptra Datori.

ODE II.

LYRA.

Deus, psallam tibi in cithara. (Psalm. 70, 22).

Te semper fidibus celebrare strepentibus unum
Sit dulce filio, Pater!
Dente Theonino laceret mea carmina censor,
Si cui movebo taedia:
Altius ad Superos rapiar fugientibus alis,
Haec ima non placent loca.
Ut qui divitiis haeres potietur opimis,
Noctu diuque copiam
Aestimat argenti, verbisque frequentibus alma
Haec dona fortunae probat:
Sic ego, qui coeli radiantia tecta subibo,
Voluto thesauros Dei,
Et, quae cor penetrant, sermonibus exsero multis —
Amor silere me vetat.
Venator lepores, piscator retia, pastor
Semper capellas praedicat:
Nonne sacerdotes terrae connectere coelum
Decet suavi foedere?
Aspice suggestus... quid ibi nisi tuta docetur,
Quae tendit ad Patrem, via?
Aut aras meditare novas... quam saepe ministri
Manu immolatur victima!

Nos docet esse pios vitiumque repellere sacri
    Semper tribunal judicis.
In templo jubeor meliores fingere mores,
    Et lingua mordet desides:
Cur igitur stulta me voce redarguis, uni
    Dum concino domi Deo?
Saepe leves homines Fidei penetralia sancta
    Turbant profana barbito;
Saepe docent miseros nullam sperare salutem,
    Trahuntur in terra morae;
Saepe modis citharae turpes luduntur amores,
    Rident amorem numinis;
Melle tument calices, sed formidanda recondunt
    Venena, quae bibit puer...
Haecce vetante Deo non unquam carmina canto,
    Iram timerem vindicis!
Silvarumne comas, lambentes gramina rivos,
    Dicamve fragrantes rosas?
An flavas memorem segetes tumidosque racemos
    Et cana montium juga?
Argentumne lyrâ celebrem viridesque smaragdos,
    Eburve Gangis inclytūm?
Dulcia laetorum non respuo carmina vatum —
    At ferre qui grati volunt,
Dum speciosa canunt, specioso vota Parenti,
    Majoris illos aestimo.
His ego consocier: liber est haec terra polusque,
    Unumque discamus Deum.
Uberiora canam... sum Christi Fonte renatus,
    Novi sacerdos Foederis!
Ecce crucem... portenta crucis cantabo beatus
    Usque ad suprema funera.

ODE III.

ECCLESIA.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.
(Matth. 8, 24).

Christe! non laetor, tua Sponsa luget,
Pallet effuso macilenta fletu,
Heu timet natis, oculosque circum
Anxia volvit.

Imminent hostes, fera turba saevit,
Cominus vibrant inimica tela,
Occidunt multi, tumet alta nigro
Sanguine tellus.

Heu nequit densas penetrare turmas
Mater imbellis, studiosa pacis
Thura dat flammis, metuenda pugnae
Spicula damnat.

Et licet cunctis spolianda non sit
Filiis unquam, tamen ecce deflet,
Quotquot occumbunt, genitrix in omnes
Fertur amore.

Ecquis immensum pereunte nato
Aestimet luctum tenerae parentis?
Dum semel nati moriuntur, ipsa
Corruit eheu·

Millies mater; generosa palmas
Tollit ad coelum, sonat aura late
Voce lugubri, precibusque Sponsum
Sponsa fatigat.

Plangimus circum pueri, manusque
Nectimus parvas, genibusque flexis
Cernimus matrem, lacrymis paratur
Dulce levamen.

Parce dilectis, pie Sponse! natis,
Mater exclamat... miserere fratrum,
Filii circum ferimus beato
Vota parenti.

Et parens adstat bonus atque fatur:
Pone lamentis, pia nupta, finem...
Sceptra natorum teneo, tenebam
Atque tenebo.

Terra non promit segetes opimas,
Ni superfuso madefiat imbre,
Pax nocet multis, acuunt remissas
Proelia vires.

Omnibus semper pater almus adsum,
Pugna fervescat, superant volentes,
Terga dant hostes, redimita fulgent
Tempora lauro.

Semper imbelles superantur, ipsi
Diligunt mortem, moriantur, esse
Me pudet patrem, nec amara eorum
Lugeo fata.

Sed luet poenas violentus hostis,
Jura natorum sine jure calcans,
Vindici poenas mihi semper aequa
Mente reservo.

Sum tibi fidus, mea Sponsa, Conjux,
Me sopor quondam maris inter aestus
Vinxit, irato vigil imperavi,
Turbo quievit.

ODE IV.

AD BEATAM VIRGINEM.

Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. (Eccli. 24, 26).

Ave Maria, te saluto carmine;
O Virgo formosissima!
Unius Una! Te Beatam praedicant
Coeli cohortes, te genus
Mortale dicit; alma Solis nuntia!
Laudaberis, donec sumus.
Sed te Parentem sempiterni Filii
Pulcherrimamque te rosam
Humana labra rite nunquam concinent,
Silentium facundius!
Vetor silere! invita flamma proditur,
Hoc pectus ardet! fila sunt
Movenda plectro!... quo praeisti, te sequor,
Qui te sequuntur, te colunt!
Tu lux eunti, tu patrona, tu via,
Quae ducit in Patris domum!
O cara Mater! filius vocor tuus,
O fac, suavi hoc nomine

Sim dignus; uni serviam Deo meo,
Et serviendo rex ero!
Se liberos stulti putant, qui vinculo
Diri tenentur criminis;
Ancilla, sed Regina! fac semper (rogo)
Recorder auctoris mei.
Quae meta sit cordi meo, nisi Pater?
Cor unus explebit Deus!
Non pondus auri quaero... dum loquor, fugit
Hoc tempus heu brevissimum!
Parvo salino quid beatius? placet
Onus viatori leve!
Nullos honores appetam, pericula
Sunt mortis aeternae, cito
Vaporis instar subtrahuntur lumini,
Latere sit curae mihi!
Multis cavebo, dum licebit, impiger
Labor sacerdotem decet!
Malis abundat vita, dulce sit pati;
Christus pependit in cruce!
Te mucro perfodit! Rosasne dem comis
Ego nefandus? turbine
Firmatur arbos, puniuntur filii,
Quos diligit Pater bonus!
Multi feruntur praepetes, cito ruunt;
Qui dextera metam tenet,
Hic est beatus! tu rogantis consule,
Mater! saluti... funeris
Certamen imminet, sagittas cominus
Torquebit hostis: ferream
Averte cuspidem, Maria... tunc io,
Io triumphe! concinam.

ODE V.

AD S. IGNATIUM MARTYREM.

Mihi enim... est... mori lucrum. (Phili. 1, 21).

Triticum felix, pretiosa gemma,
Lucidum sidus, Syriae columna,
Nobilis palmes, tener agne, veris
Germen odorum!

Impiger miles, venerande praesul,
Gnave mercator! tua gesta miror,
Martyr Ignati, soboles parente
Digna Joanne!

Nulla te laudum tenuit cupido,
Nulla nummorum: brevis haecce vita
Mors tibi semper, tibi visa mors est
Vita perennis.

Exules optant patriae penates,
Rustici messem: fuit una dudum
Urbs tibi curae celebrata divi
Carmine vatis.

Ulpius Parthos domiturus armis
Te Diis hostem jubet immolari:
Laetus exsultas, (generosa fronti
Serta parantur)

Una te moestum premit atra cura,
Heu lupi crudi rapient ovile,
Pastor arceris... sed ovile pastor
Christus adibit.

Aemulus Petri similisque Paulo,
Quos diu ripae tenuêre Orontis,
Ferris ad Tibrim, manibus catenae
Sunt pedibusque.

Ferris, accurrunt lacrymasque fundunt
Plurimi fratres, iter est triumphus,
Ac tui condis tabulas magistri
Arte supremas.

Dolii fatum *) meditatus oras,
Ut feri dentes acuant leones,
Civium supplex odium requiris,
Spernis amorem.

Circus exspectat, sacer es Saturno,
Sanguis it largus, lacerantur artus,
Una, quae morsu crepuêre fracta,
Ossa supersunt.

En Deum victor tulit ille vere!
Vis cruci est ingens! socianda carni
Ossa conduntur, petiit beatus
Navita portum!

---

*) S. Joannes Ev. dolio olei ferventis illaesus exivit.

ODE VI.

CASTITAS.

Omnis autem ponderatio non est digna continentis animae. (Eccli. 26, 20).

Vita certamen, jaculantur hostes
Tela versuti: clypeo retundo
Tela felici; redeunt sagittae:
Sanguine tingor.

Luctor infirmus.... moriarne victus?
An manu forti superabo turmas?
Nesciò finem... pia nunc roganti
Mater adesto.

Ecce thesauri cupidos latrones!
Fac iter mecum; fragili tenetur
Amphorâ vinum: gradientis arce,
Virgo, ruinam!

En sacerdotem nivei pudoris
Cura commendat, sibi poscit illum
Ara convivam, sequitur scelestum
Tiro magistrum.

Est homo! annosae cecidêre quercus!
Est homo! tollit speculi nitorem
Halitus lenis! Sibi temperare
Ardua virtus!

Sed crucem specto: trahit illa segnem;
Nos amat Jesus: redametur unus;
Cara libertas: parat en libido
Vincula capto.

Elicit chordae levis aura vocem,
Arborum fròndes Zephyro moventur;
Et vigil custos nocitura semper
Illico pellam.

Ecce falluntur volucres avena;
Melle demulcent aconita saevi;
Agnus in palo: tenet en profunda
Fossa leonem.

Quo lupi crudum riget os hiatu!
Otium non est, ades, o patrona,
Tu mihi virtus, acuat minaces
Bellua dentes.

Quando vesanis agitata ventis
Navis in portu placido quiescet?
Quando praesenti resonare Patri
Fila jubebo?

ODE VII.

AD BEATAM VIRGINEM.

Exaudi me. (Psalm 54, 3).

Titus in vasto pelago movetur,
Heu secat fluctus fragili carina:
Consule, o Mater, maris alma stella,
Consule Tito.

Ecce demersae pereunt quotannis
Plurimae naves, animo voluto
Anxio curas: caput eja carum,
Virgo, tuere.

Quanta mortales patiuntur! eheu
Quanta molimur! sibi quaerit escam
Nauta, crudelis propiora spectat
Limina mortis.

Hoc ego condor solido cubili:
Mobilis vero vehit unda Titum...
Perdoma ventos, laterique nati,
Mater, adesto.

Ecce iter longum faciet, nefastos
Funde praedones, citius beatam
Admove metam, pretiosa portus
Littora pande.

Forte jam nubes glomerantur atrae,
Cuncta miscentur strepitu feroci,
Imminent cautes, inimica frangunt
Fulgura malos.

Forte spumantes natat inter undas,
Titus infelix, juvenisque ponto
Conditur lassus... cruciantur ima
Corda dolore.

Ardeat Tito Fidei lucerna,
Ambiat numquam peritura dona,
Integer culpae calefiat uno
Semper amore.

Advehit multas revehitque merces,
Fac eum, Mater, meminisse leti,
Dives argento meliore coeli
Ostia pulset.

ODE VIII.

EUCHARISTIA.

A fructu frumenti, vini... multiplicati sunt. (Psalm 4, 8).

Aureae spicae viridesque botri,
En memor vestri rapior per auras,
Laetus exsulto, citharaque carmen
Ludo suavi.

Quantus, o blandi pia dona ruris!
Est honor vester! pretio anteitis
Cuncta, quae tellus operosa cornu
Divite fundit.

O ubi spirant Zephyrus Notusque,
Eurus exsurgunt Boreasque, semper
Poculo vestro dapibusque vestris
Ara potitur.

Nobili campo patuloque colli
Fertiles imbres (precor) o favete,
Sol ades dexter, radiis amicum
Sparge calorem.

Huic loco parcat fera vis procellae,
Nulla volvatur nocitura grando,
Sit procul semper metuenda crudi
Militis ira.

Dent molae circum nitidam farinam,
Torreat pressam generosa virgo,
Aucta calcetur tribuatque dulces
Uva liquores.

Est in altari Deus Agnus ipse
Panis oblatus specieque vini!
Triticum felix, deciesque felix
Vinea salve.

Adsumus mensae, cibus ecce prostat,
Pascimur Croesi, recreamur Iri,
Christus in nobis! veneremur ingens
Pignus amoris.

Ora pallebunt moritura quondam:
Tunc ades Jesu! mihi da beatae
Pharmacum vitae, mea nunc rogantis
Vota memento!

ODE IX.

AD S. ANGELAM MERICI.

Erunt sicut angeli Dei in coelo. (Matth. 22, 30).

Angelam dico, lyra, junge voces,
Nomen est omen! (precor) huc adeste,
Virgines sacrae, sociae canuntur
Proelia vestrae!

O lacus felix! Veneti beati!
Flos hic in vestris adolevit hortis;
Quâ nitet forma rosa! quo suavi
Fragrat odore!

Brixiae cives tenuêre semper
Hospitem caram, melior puellis
Plurimis vixit pretiosa Christo
Sponsa marito.

Coeca divinum petiit sepulcrum,
(Quanta vis sacri fuit haec amoris!)
Et crucis lignum meditata virgo
Flevit abunde.

Dispulit noctem patientis atram
Christus in Creta, veniamque poenae
Nacta pastoris meruit supremi
Tangere limen.

Ursula junxit duce et advocata
Virginum coetum, bona rexit agmen
Mater augustum, tulit una multis
Lucra salutis.

Fovit aegrotas, inopesque juvit,
Mulsit afflictas, docuit puellas...
Quae Fide mentes, rapuit magistra
Corda calore.

Haec in angusto latuit cubili:
Sella, crux, stramen... fuit haec supellex!
Quam brevis somnus, modicum salinum,
Asper amictus!

Sprevit haec terrae, potiora coeli
Dona quaesivit: superas ad oras
Jam senex multis opibus referta
Virgo tetendit.

Te sit hic coetus genitrice felix,
Offer ejusdem pia vota Patri!
O ades semper, clypeo puellas,
Virgo, tuere.

ODE X.

PECCATORI.

Posside sapientiam. (Prov. 16, 16).

Surge, qui dormis, meditare mortem,
Tartari poenas animo revolve,
Rumpe loricam, grave pondus aufer,
Dilue sordes.

Arbor es, nullo speciosa fructu,
Vitis es, nullo redimita botro,
Campus incultus, sitiens eremus,
Putre cadaver.

Si bonum laudes opus, est imago,
Quam tibi lecto sopor incubanti,
Quamve decepto tibi pingit aër,
Nummus adulter.

An rosas promit glacies, arena
Triticum? merces operi negatur,

Quòd facis nullo superis amoris
Foedere nexus.

Ecce jam rari niveique crines,
Livor in vultu maciesque: necdum
Stamen ordiris, gracilique telam
Pectine densas.

Subdolo pisces capiuntur hamo,
Haeret in visco volucris tenaci:
Mors adest, valvas inopina flexo
Indice pulsat.

Pallidus torpes... ubi degis amens?
Vivis aeterno cruciandus igne,
Stultus emisti pretio salutis
Perbreve tempus!

ODE XI.

EXAMEN.

Probet autem se ipsum homo. (1 Cor. 11, 28).

Saepe lustrantur veteres amictus,
Saepius confers tua damna lucris,
Igne succenso penetramus alti
Viscera montis;

Vultus admoto speculo probatur,
Pondus injectum trutinâ libramus:
Cuncta dilapsae male gesta vitae
Saepe recense.

Anteit multos pretio labores
Census hic mentis... pereunt caduca,
Spiritus vivet, potiora quaere,
Sperne minora.

Rumpitur vitrum figulique testa,
Pulveres terrae facile tenaces,
Saepe ut infantes cadimus, jacemus
Vulnere laesi.

Census aegrotae medicina vitae,
Census hic radix melioris aevi...
Eja, mortalis! tua gesta semper
Mente voluta.

Sole jam merso cubitumque iturus
Conside censor, revoca diei
Singulas horas, meditare lapsi
Temporis usum.

Ne tibi parcas, odium salubre,
Quid tibi prodest latuisse quidquam?
Defluunt rivi, tibi prima constet
Fontis origo.

Pondus explora numerumque judex,
Carius cunctis didicisse crimen
Sit labor dulcis... maculas in alba
Veste notato.

Ecce sedisti... rue nunc volando,
Ecce dormisti... vigilare oportet,
Totus alsisti... calefiat uno
Pectus amore.

ODE XII.

STULTITIA.

Semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (2 Tim. 3, 7).

Orbitas coeli calamo recensent,
Temporis lapsi meminêre gesta,
Rite describunt populos et amplae
Oppida terrae.

Bestias omnes numerant, metalla
Cuncta cognoscunt, didicêre plantas:
Nesciunt autem propiora... sese!
Flebile dictu!

Heu sibi docti miseri videntur,
Nomen aeternum celebrant nepotes:
Hos ego luctu satyrâque acuta
Censeo dignos.

Quanta stultorum legio per orbem!
In diem vivunt! tamen ad tribunal
Cogimur cuncti, sine fine dudum
Ardet Avernus!

In diem vivunt! inopina mors, et
Semper infelix ululabit agmen...
Stant comae, it sudor gelidus, per artus
Funditur horror!

Scire thesaurus, sed amare praestat!
Est amor vitae columen beatae!
Quid sit in votis nisi sempiterna
Regia coeli?

ODE XIII.

REDEMPTIO.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. **(Rom. 5, 19).**

Mi Jesu, pateris jam nimium diu,
Jesu, dulcis amor, jam nimium diu;
Heu spectator iners adsto cruci tuae,
Et ferre auxilium vetor.

Noli, spina, caput pungere saucium,
Tergo parce sacro, stipes, et artubus,
Ramos flecte tuos, ne gravioribus
Laedat vulneribus manus.

O clavis utinam nulla acies foret!
O vos state (precor) flumina sanguinis!
Imber, da calido pocula gutturi,
Finem pone doloribus,

Mors festina! bonae currite lacrymae,
Humectate genas... est Hominis Dei
Ingens supplicium, non fuit ullibi
Tanta saevitia ferox

Tigris! Nonne tener consuluit pater
Vobis, o soboles trux, adamantina?
Heu nostri generis praesidium et decus
Infami immoritur trabi.

En mactatur ovis, sed tacet, innocens
Pro nobis moritur, qui male viximus;
O quantum facinus! conditor omnium
Fit par ecce latronibus.

Immensum vitium lavit Homo Deus
Immenso merito, dextera nunc Patris
Aequa lance tenet justitiae libram,
Coelorumque fores patent.

Nobis atque Deo culpa voraginem
Interjecit... io! pontis adest via;
Fauces dira sitis torsit... io! latex
Manat splendidior vitro;

Abjectum fuimus vulgus... io! sumus
Divino geniti sanguine Filii;
Quae nos pauperies ursit!... io! parant
Thesauros Domini manus.

Felix culpa vetus, quae potuit novo,
Quae tanto meruit flumine prolui!
Infelix periit proditor angelus,
Aeternumque manet miser.

Unum nos homines ecce genus sumus,
Arbos una genus! Quos potuit pater
Obtruncare nocens, hos pater innocens
Vitae nos potuit dare.

Sed non haec eadem vincula daemonas
Fortunata ligant... eja homines sumus,
O carum decies nomen! io! salus
Uno hoc nomine nititur!

ODE XIV.

AD BEATAM VIRGINEM.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. (Luc. 1, 48).

Mater et Virgo, speciosa gemma,
O salus nostrae columenque gentis,
O decus mundi generisque nostri
Sancta propago!

Virginem dico... fidibusne tanta
Est meis virtus?... radiantis almam
Solis Auroram quis in orbe vates
Carmine dicat?

Tu Dei Mater! tua, Virgo felix!
Conditor coeli facit imperata;
Dives immenso pretio sorores
Anteis una.

Arboris fructum tulit illa prisca,
Arbori fructum benedicta reddis...
O vices gratas! tumidi venenum
Pellitur anguis.

Mater es nobis et amica mater,
Bruma diffugit, redière flores,
Saeviant fluctus, tenet unca motam
Ancora navem.

Qua madent Austri, Boreaeque strident,
Qua rigent Euri, Zephyrique spirant:
Ore laudaris calamoque et ictis
Pectine chordis.

Te viri extollunt, juvenes senesque,
Praedicant nuptae, viduae, puellae;
Te color pulcher Pariumque marmor
Exhibet orbi.

Ardeant soles lateantve, laeti
Rideant vultus madeantve tristes:
Te boni quaerunt, repetuntque pravi,
Mater amoris!

Templa te norunt, venerantur arae,
Festa commendant, celebrantque thura,
Te rosae exornant, tibi multa passim
Lumina fulgent.

Tu crucis nostrae generosa vindex
Tela festino clypeo retorques,
Igne divino graviora saxo
Pectora scindis.

Nulla te major fuit hoc in orbe,
Nulla succedet, veneranda vates
Hasce tu quondam meministi amoeno
Carmine laudes.

Ecce nunc vultum Patris intueris,
Candidis Virgo redimita stellis,
Ecce Reginae tibi grande coeli
Subditur agmen.

Exsul hîc adsum, mihi mater esto,
Te rogo supplex, mihi mater esto,
Me jube tandem patriis in oris
Esse beatum.

ODE XV.

THEOPHORIA.

Portate Deum (1 Cor. 6, 20).

Ornate velis magnificis domos,
Prodant fenestrae lumina floribus
Innexa odoris, in plateis
Arboribus societur arbos!

Gaudete cives, arma nitentia
Junctae cohortes promite, centies,
Arx, mitte fulmen, sol corusca,
Ara quater speciosa fulge!

Lignum salutis fertur, in aëre
Vexilla pendent, quot numero faces!
Bini moventur, buccinarum
Fit sonitus, pia vota surgunt.

Victi tremiscunt daemones, angeli
Plaudunt ovantes, Christiadae boni
Laetantur omnes, quos hic orbis,
Quos patriae tenet alma sedes.

Nunc prome gramen, sparge viam rosis,
Foecunda tellus: praeterit en Deus!
O quaere nunc, testudo felix,
Quaere modos graviore plectro.

Cui cuncta prono sidera vertice
Subduntur uni, quem genuit Pater
Aeternus aeternum, et beato
Virgo dedit generosa partu,

Panis figurâ conditur! O dies
Regina salve, qua reminiscimur
Portenta amoris, qua canendum:
Est amor ingeniosus Agni!

Urbane laudes carminis accipe,
Et Julianam dicite virginem,
Exsulto vates, me suavis
Continuo rapit hic triumphus.

Tradant Sabaei thura fragrantia,
Mittatque gemmas India fulgidas,
Aurique pondus: turba Regi
Ferre nequit potiora dona.

Sed fallor... hoc est cor pretiosius
Gemmis et auro... corda tibi damus,
Jesu Redemtor, cujus olim
Cor tenerum penetravit hasta.

Ictus trisulci fulminis, imbrium
Averte moles, immedicabilem
Pestem coërce, pelle crudae
Damna famis rabidique belli.

Fac ne citato funeris impetu
Strati ruamus non moniti, procul
Sint cuncta detrimenta, poenas
Tartareas (rogitamus) arce.

ODE XVI.

JUDAS.

Avaro autem nihil est scelestius... hic enim et animam suam venalem habet.
(Eccli. 10, 9-10).

Quis rumpit strepitus tranquilla silentia noctis?
Quae radiant fulgore lucernae?
O fuge, mi Jesu, te quaerit inhospita turba,
Heu ducit ferus agmina Judas!
Ingratum comitem turpis dementia cepit,
Perniciem meditatur amici.
Si te nunc subito barathrum tumularet hiatu?
Vibrarent cita fulgura nubes?
Te per amicitiae socialia jura triennis,
Per cari bene gesta magistri,
Te per apostolici venerabile culmen honoris,
Per coenae pia verba supremae,
Per pacem cordis, promissaque praemia coeli
Obtestor... sibi numen avarus
Ipse creat positoque genu defixus adorat;
Damnat eum, qui condidit orbem,
Temperat effusas gnavus moderator habenas;
Non quaerit miser ille salutem,
Qui negat infando mentem tabescere morbo,
Aut veteris truculenta draconis
Vincula non odit, quem dura compede semper
Vincit amor furibundus habendi.
Utitur ille Deo, fruitur radiante metallo,
Se cruciat sine fine tyrannus,

Ut persaepe fidem superet vesania, torquent
Ingenti cor pondere curae.
Diffidit cunctis, sibi soli fidit, egenum
Se queritur circumdatus auro,
Assidet huic custos, circum sua lumina volvit,
Continua formidine pectus
Flebile sollicitat, dum scit, fulgentia dona
Mille modis haec posse perire.
Ecce dies noctesque vigil desudat et alget,
Exagitant jejunia fauces,
Affligunt celeres aegerrima membra dolores,
Et rapiunt cita funera vitam.
Infestum medico satyra ludamus acerba,
Aut oculo miserente fleamus.
Mordet hirudo cutem, pleno trahit ore cruorem:
Quaerit opes hic semper ubique,
Censet sacra fames pretio venalia cuncta,
Furta, doli, mendacia, raptus,
Sica placent aliisque armis metuenda supellex.
Poscat opem lacrymabilis Irus:
Infremit effundens inter convicia diras,
Pulsa tremunt in cardine late
Ostia; flent alii miseros, stat ferreus unus.
Cui timidum struis aeris acervum?
Vita levi spumae celerique simillima vento
Diffugit, irrevocabile tempus!
Ecce breves retinebis opes, linquantur oportet,
Prorsus inops condêre sepulcro.
Tunc pede praecipiti cupidissimus advolat haeres,
Et nemo tua funera plangit.
Eheu nulla metes virtutum praemia, lustra
Nulla Deo, tibi cuncta dedisti.
Interiit saxis crepitantibus obrutus Achan,
Qui sacrum sibi sustulit aurum.

Praeceps acta canum fuit esca suavis in ore,
Qua cecidit mandante Nabothus.
Se laqueo Judas trux proditor ipse peremit,
Vivet in omne miserrimus aevum.

ODE XVII.

COELUM.

Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem. (Apoc. 22, 14).

Est haec pulchra domus, quam pedibus premo:
At si cerno tuam, sancte Pater, domum,
Sublimis liquidum tollor in aethera,
Taedet me exilii mei.

Late strata rosis arva fragrantibus,
Mulcentes Zephyri, limpidior vitro
Fons, vocale nemus me rapiunt... domus
Est formosior haec tua.

Campi triticeis frugibus uberes,
Et rivi gelidi pocula dulcia,
Et frondes patulae me rapiunt... domus
Est formosior haec tua.

In ramo viridi poma rubentia,
Et colles tumidis vitibus inclyti,
Et ruris latebrae me rapiunt... domus
Est formosior haec tua.

Congestis nivibus tecta cacumina,
Infusique lacus Alpibus horridi
Aeterna glacie me rapiunt... domus
Est formosior haec tua.

Balantes pecudes et volucrum chori,
Pacatum pelagus, carbasa turgida,
Eos alma redux me rapiunt... domus
Est formosior haec tua.

Deductum placida carmen arundine,
Et septem variis picta coloribus
Iris, luna silens me rapiunt... domus
Est formosior haec tua.

O salve decies, cara Patris domus!
Te semper meminit barbitos auream,
Cur te non celebrem semper amabilem,
Ad quam tendit iter meum?

En dum Cimmeriis aether inhospitus
Velatur tenebris, corpora frigidae
Humectant pluviae, continuo micant
Ruptis fulgura nubibus,

Mugitu reboant terrifico poli,
Venti praecipites proelia conserunt,
Miscentur tumidis aequora fluctibus,
Spumis alba sonantibus,

Velox alta petit sidera, protinus
Subsidit barathris cincta minacibus
Allidenda brevi forte latentibus
Pinus naufraga rupibus...

Ut reddit superis vota frequentia,
Et desideriis nauta fidelibus
Fortunata bonae littora patriae
Ac tutos recolit lares:

Sic dum circumagor mille periculis
Prosternendus, ego brachia porrigo
Ad Patrem fugiens, quaero suavibus
Plenam divitiis domum.

Has terrae illecebras non sequar, o precor,
Dulces, cara domus, pande fores mihi,
Prima luce rogo, vespere flagito,
Dulces pande fores mihi.

ODE XVIII.

QUIES.

Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum.
(Psalm. 76, 3-4).

Nubibus pulsis meliore coelum
Luce subridet, relevatus aeger
Pluris optatae solet aestimare
Dona salutis.

Tu genus nostrum moderaris unus,
Qui tenes dextra sapiente sceptrum,
Fletibus multis geminata largus
Gaudia praebes.

Tristis angebar, facie serena
Laetus exsulto... tibi reddo grates,
Christe! me flammis adolere pectus,
Labra revelant.

Nunc cibi parci sapiunt palato,
Fontis oblector salientis unda,
In toro dulci recreantur alto
Membra sopore.

Nunc libros verso manibus diurnis,
Verso nocturnis, pia necto Patri
Vota supremo, ferioque blandas
Pectine chordas.

It maris fluctus remeatque, mixtae
Sunt rosae spinis: juga si parentur,
Colla submitto, mihi sit Deoque
Una voluntas.

Ad polum turmae volucrum feruntur:
Spes rapit mentem; premitur saburrâ
Navis injecta: dubio moventur
Corda timore.

Donec in terra peregrinor ima,
Semper incertus caveo saluti,
Non meâ pendor, trutinâ Parentis
Censeor una.

ODE XIX.

ROSETUM.

Invisibilia enim ipsius... per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.
(Rom. 1, 20).

Salvete veris nuntiae,
  Salvete connexae rosae!
Fenestra sit vobis data,
  Quam bruma condebat gelu.
Colore formosissimo
  Vos largus exornat Pater:
O vestis innocentiae,
  Nunc te saluto millies;
Quid est amore pulchrius,
  Amore, quem parit fides?
O vestis innocentiae,
  Te consuit Christi manus.
Jam, quum lavacro tingerer,
  Hac veste fulgebam puer;
At invidus... sed lacrymis
  O parce testudo meis.
Decora vestis, (o precor)
  Ne polluâre sordibus,
Vir sum, magister et novi
  Diu sacerdos Foederis.
Odore jucundissimo
  Fragratis, o dulces rosae;
Mulcetis auras, incolam
  Conclave delectat suum.

Virtutis est odor bonus,
  Partes in omnes funditur,
Conditur orbis, et diu
  Tenetur humanum genus.
Quae vis amoris! haec gradum
  Agni tenelli corripit;
Quae vis amoris! hac cito
  Mansuescit immanis leo.
Sed pungor, ingratae vices...
  En ambiunt spinae rosam,
At ecce non laedunt eam,
  Sepitur a spinis rosa.
Heu saepius recti tenax
  Vulgo profano displicet,
Sed proelium ferocius
  Auget coronae gloriam.
Decus rosarum perbreve,
  O vita, quam cito fugis!
Vix nascimur, senescimus,
  Alto sepulcro condimur.
Sequuntur attractae rosae
  Favonium veris novi:
Clangore vocalis tubae
  Somno excitati surgimus.
Gaudete, fratres, surgimus,
  In Patris horto plurimae
Carpentur a nobis rosae,
  Quas nulla depascet mora.

ODE XX.

FLUVIUS.

Ego sum... principium et finis. (Apoc. 22, 13).

Dum me ripa tenet, volveris ad mare,
Velox unda, maris filia!... me doces
Tironem docilem... sum genitus Deo,
Ut dulcem repetam Deum.

Dum tu curris, ego repo... cito quidem
Anni praetereunt irrevocabiles:
At cunctatur amor... quis melior tamen,
Qui formosior est Deo?

Flaventes segetes unda perambulas,
Per rupes eadem laberis horridas:
Donec vivit homo, gaudia lacrymis
Commiscentur, at (o pudor)

Damnantur lacrymae, subdere nolumus
Duro colla jugo, nos patientiae
Virtus alma latet... nec mala pellimus,
Et torquemur atrocius.

Fervens unda viam corripis, at gelu
Heu concreta riges: cor pueri nitet
Munda veste diu... pulvere spargitur,
Foeda polluitur pice.

Sol torret radio, carpis iter novum:
Vitae nos genitor restituit bonus,
Multi terga damus, vivimus in diem,
Leto occumbimus impii.

Tu prono facilis funderis alveo,
Nec primam repetis fontis originem...
Nos exercet iter, nos juga scandimus,
Heu nos saepe repellimur.

Felix unda, viam continuo tibi
Pandit ripa tenax, qua duce truderis:
Nobis ripa Deus, qui jubet, attamen
Invito haud rapimur pede.

Non lassata petis tramite perbrevi
Undas Oceani: nascimur et cito
Nos lassi morimur, semper amabili
Condemur patriâ boni.

ODE XXI.

LECTIO.

Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus. (Act. 19, 19).

Tempera votum, nocet haec legendi
Coeca prurigo, mulier profana
Flosculos carpis, latet heu frequenti
Anguis in herba.

Utiles semper meditare libros,
Lucra delectant, stylus heu venustus
Saepe jejunus, sapiensve misce
Utile dulci.

Sed manu versas oculoque lustras
Codicem pravum, teretes dolones
Tangis et lento terebrata verme
Poma decora.

Si gelu spargat glacialis Arctos?
Ventus exstinguat Fidei lucernam?
O cave damnum, pretiosa coeli
Munera serva.

Scilicet nullum metuis leaena!
Virgo, mentiris, sibi quisque nostrum
Jure diffidit, Zephyrique mota
Laberis aurâ.

Arcet a natis pater hoc venenum,
Te sequi patrem decet imperantem,
Crede, non semper relevatur aeger,
Crede perito.

Triticum praebes, paleâ potiris,
Stulta mercatrix, tibi parce demum,
Non oves censent, opulenta novit
Gramina pastor.

Agger iratum fluvium coërcet,
Aere sternuntur rabidi Molossi:
Excita flammas, rapientur aedes
Igne voraci.

Dum tuae gnavus caveo saluti,
Surda non audis, mea vota spernis,
Assides orae, barathro peribis
Mersa profundo.

ODE XXII.

PECCATUM.

Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui, Israël autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. (Jes. 1, 3).

Arva dant flavas generosa spicas,
Turgidis fulgent juga sparsa botris,
Fructuum dives patet arbor, undae
Pocula praebent.

Aequoris pisces volucresque coeli
Et parant fortes epulas juvenci,
Serico filo nitidoque vestes
Vellere fulgent.

Arcet effusas domus alta nubes,
Ignibus cedit glaciale frigus,
Sole jam merso placido quiescunt
Lumina somno.

Integrum nescit medicina corpus,
Viribus pollent, radiatque gaza,
Prodigum laudis celebrat merentes
Carmine vulgus.

Discimus multi, tenebrasque mentis
Luce pulsamus (dedit ille lucem,
Qui movet stellas), poliuntur artes
Mente sagaci.

Par fere vento ratis it vapore
Acta, connectit via strata ferro
Dissitas urbes, sequiturque praepes
Penna loquentem.

Solis extemplo radius figuras
Pingit, electrum sociusque magnes
Temporis vincunt spatiique leges,
Quâ patet orbis.

Invocant multae simulacra gentes
Coeca: nos numen veneramur unum,
Quod tenet sceptrum variisque mundum
Temperat horis.

Detulit coelo nova sacra castae
Virginis Proles, pia subdidêre
Colla majores, tenet et nepotes
Caula beatos.

Falsa miscentur, fatuasque voces
Semper arrecta bibit aure vulgus:
Roma nos jungit veneranda Petri
Foedere Sedes.

In crucis sacra Deus Agnus ara
Sanguinem fudit pretium salutis,
Eja laetemur, sumus en redemti
Funere Christi.

Labis antiquae lavat unda sordes,
Arbitri dextrae nova culpa cedit,
Regiae mensae simul assidentes
Vescimur Agno.

Ocyus telo breve tempus ibit,
Mortis incerta rapiemur hora,
Igne mundati patriae fruemur
Pace perenni....

En manus lambit domini catellus,
Ecce pastorem sequitur capella,
Cessit et dono metuenda saevi
Ira leonis.

Ast homo brutis ratione praestans
Spernit heu demens pia dona coeli,
Non lubet nato redamare Patrem,
Odit amantem.

Ecce, quum Justus moreretur olim,
Sol diu luxit, tremuêre rupes...
Sola torpescunt hominis superbi
Frigore corda.

ODE XXIII.

CRUX.

Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidum scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. (1 Cor. 1, 23-24).

Si censere mihi numerisque referre liceret
Vim, Pater alme, crucis:

O quando optatam possem contingere metam?
    Quando suave chelys
Haec cecinisset opus? Si nunquam fessa diei
    Otia longa manus
Carminibusque daret diuturna silentia noctis:
    Tempora cana forent
Injectis nivibus circum, tremuloque labaret
    Curva senecta pede,
Nec me continuo finem posuisse labori,
    Diceret ore nepos!
Crux veneranda, vale, medio superaddita colli!
    Tu medicina recens
Arboris antiquae toto spectabilis orbi;
    Luxuriosa comis
Arbor amica vale... radicem porrigis alte,
    Sidera tangit apex.
Non te straverunt crepitantia fulgura coeli,
    Non tibi terra minax
Supposuit barathrum, non te metuenda bipennis
    Praecipitavit adhuc,
Non rapidis evulsa jaces Aquilonibus, aetas
    Non malesana tuum
Infecit carie truncum! Venientibus arbos
    Emolumenta nova
Fructibus eximiis late speciosa parasti,
    Nec tamen alta penus
Exhauritur, hyems non te pessumdedit unquam!
    At miser ecce diu
Lumina circumago: superantur gaudia luctu,
    Immaduêre genae.
Edimur in lucem, grata recubamus in umbra,
    Diffugimusque brevi!
Non sapiunt generosa viris tua pabula multis,
    Turba profana sacro

Abstinet a ligno; multi nec cominus adstant,
Nec procul esse volunt:
Haec melior gelida sobole ferventeque pejor
Stulta propago tepet.
Spicula dent pharetrae, lacerentur verbere terga,
Ardeat igne rogus,
Ora fames agitet, meditentur vulnera tigres,
Funera lenta cruces,
Nudentur gladii tetri, paret unda sepulcrum,
Saxa caduca minas
Intentent celeres, laqueos ad guttura necte,
Ampla dehiscat humus:...
Pallescunt trepidantque leves, mordetque parentem
Aspera lingua trabem.
Proh pudor, heu metuo, ne rara fidelibus ulnis
Semper adesse cruci
Agmina dulce putent... Jesu, miserere tuorum,
Et miserere mei.

ODE XXIV.

INFERNUS.

Discedite a me maledicti in ignem aeternum (Matth. 25, 41).

Tartari poenas juvenis memento:
Labitur vitae breve tempus, aequa
Lance librabit tua gesta judex...
Disce timere!

[illegible]

Dum fores intrat pia turba coeli,
Impios arcet solium Parentis...
Quantus hic moeror! tenebras memento,
Frater, Averni.

Auferunt aurum: subitâ madescit
Lacrymâ vultus; fugiunt sodales:
Tristis incedis, nec amica somno
Lumina claudis...

Quis Deo nostro melior? carebit
Hoc bono summo malesana turba:
Nonne stant crines gelidusque manat
Sudor in artus?

Ecce peccato periêre multi!
Semper oderunt tenerum parentem...
Obsecro, frater, meditare summam
Funeris horam.

Spina te pungit, sitiuntve fauces,
Dente torqueris rabidâve febre,
Infremis statim: cruciabit atrox
Flamma scelestos.

Tu rogi poenam tremefactus horres:
Ignis immensum mare fervet orco,
Has alit flammas metuenda justi
Vindicis ira.

Rapta redduntur redeuntque vires:
Impium semper terebrabit ignis:
Vivet aeternum moriens in aevum
Daemonis agmen.

ODE XXV.

AMOR.

Diligam te Domine (Psalm. 17, 2).

Cuncta labuntur, manet una virtus,
Una devicto superest sepulcro,
Filiam coeli repetunt beata
Culmina coeli.

Tu mihi, virtus, comes una semper,
Donec in terra peregrinor, esto,
Damno mansurus fugientis aevi
Lucra sacerdos.

Me ducem carae juvenum coronae
Christus in sacra posuit palaestra:
Dulce sit menti juvenum cavere,
Fingere corda.

Hos sacerdotes venerandus unget
Praesul, admotos ovibus jubebit
Esse pastores, moderatus illos
Consulo multis.

Missus ad ripam celeris Juvavi,
Impiger volvam sapiensque priscos
Semper annales, docilis magister
Jura docebo.

Veritas nobis, via, vita Christus,
Veritas nobis, via, vita Sponsa:

Hinc lubens ejus monumenta pandam,
Jura tuebor.

Regis ancillam docuêre Romam
Esse vesani, rapuêre summo
Jura Pastori, gemuit nefanda
Compede vinctus.

Fortis errores procul amovebo,
Quos diu sparsit violentus eheu
Ore Justinus *) niteatque priscâ
Roma tiarâ.

Aedibus sacris adero minister,
Filium Patri pius immolabo,
Sedulae turbae dabo sempiternae
Fercula vitae.

Praeco thesauros Fidei revelans
Spe traham multos et amore fratres,
Alteram nanti tabulam salutis
Dextera tradet.

Vota junguntur facile... bonusne
Stabo promissis? iterabo vota,
Supplices palmae renovata sunto
Fulcra caduco.

Cantii proles, decus o Lycei!
Me tui semper rapiebat ardor,
Esto patronus tenero clienti,
Sancte Joannes!

---

*) Justinus Febronius.

ODE I.

SUPERBIA.

Odibilis coram Deo est et hominibus superbia. (Eccli. 10, 7).

Tui misertus ingemo,
O frater... unde flebilis sexcenties
Haec nascitur superbia?
Crinesne flavi saepe torti candido
Ferro placent, odoribus
Late fragrantes, quos Favonius movet
Per colla fusos lactea?
An te juventa virium potens rapit?
Trahuntne formosae genae,
Quibus recentes invident veris rosae?
An gloriaris vellere,
Cui bis rubores illinebant murices,
Auro decorus fulgido?
An te palatii tenent sublimibus
Fultae columnis porticus,
Stratumve picto rite nexum marmore?
Insuntne mensae fercula
Largis parata sumtibus, quae sedula

Ciet ministrorum cohors?
An vina praedicas Falerna gemmeis
Exhaurienda poculis?
Num te verendum splendidis majoribus
Demulcet antiquum genus?
Num parta caesis hostibus victoria,
An te curulis concitat?
An artifex portenta promis omnium
Vatum canenda carmine?
An nobilis te continet scientiae
Palaestra nescium mori?
Amore numinis calentem laudibus
Uterque commendat polus?
O qui superbiae teneris vinculo!
Haec vita labitur cito...
O quanta, frater, conditur cadaverum
His in sepulcris copia!
Hi praeiêre, tu sequêris, et brevi
Torpebis immani gelu!
Fluentque tabo membra vermibus sacra!...
Hic gloriae finis tuae!!
Non sunt avorum (crede) virtutes tuae,
Adamus omnium parens.
Est omnium cor par tuo, nec purior
It sanguis in venis tuis.
Fratres vocamur, omnium est idem Deus,
Idem redemtor omnium.
Nocturna verset scrinii libros manus,
Verset diurna plurimos:
Heu nos latere multa (cuncta dixerim),
Apprime id unum novimus.
Se scire quilibet jubetur, sed latet
Haec alma nos scientia.
Non sancta nostris excitatur viribus,

Sed caritas coelo redux
Infunditur nobis, Deumque nonnisi
Deo juvante cor amat.
Dedit salubris unda vestem candidam:
Hanc labe jam foedat puer.
Heu sternimur, qui stamus, injecta nive
Amoris ignis vincitur;
Languemus aegri, sero demum quaerimus
Salutis auctorem novae.
Trahunt coloni per paterna jugera
Sulcos acuto vomere,
Ruunt aristae messe vicina graves
Fractae procella grandinis:
Permulta fers (fatebor) et facis, quies
Te semper anxium fugit,
At nulla merces te manebit, irritus
Est tantus annorum labor.
Tibi placebas et sodalibus tuis,
Deo supremo displices.
Horre superbiae ferocem belluam,
Fortisque da fortem neci.
Spiris tremenda sempiternis ignibus
Injecit ipsos angelos,
Dedit beatos sede felicissima
Primos parentes exules.
Doli, rapinae, furta, caedes, proelia,
Lues, fames, licentia,
Calcata jura, saevus in crucem furor...
Superbiae foetus erunt,
Donec suprema suscitemur buccina.

ODE II.

CARITAS.

Caritas nunquam excidit. (1 Cor. 13, 8).

Eheu vita volat non patiens morae,
Labuntur juvenum lustra suavia,
Sparguntur nivibus tempora, languidi
Firmantur baculo pedes.

Eheu praecipiti fluminis impetu,
Et motu rapidi fulguris ocyus
Anni diffugiunt, irrevocabili
Fato praeterunt dies.

Et mors falce metit pallida corpora,
Et busto rigidi condimur uvido,
Et manat sanies, et superadditi
Heu nos vermiculi vorant.

Deplorat genitrix funera filii;
Tabescunt lacrymis lumina conjugis,
Fratrem cara soror, flet comitem comes,
Luget patria Caesarem.

Tunc qui sollicitus non sine crimine
Ingentes peperit divitias sibi,
Immotus timidi questibus indigi,
Torpet consilio Dei.

Tunc qui conspicuis functus honoribus
Elata tumuit fronte superbiae,
Et qui in straminea delituit casa
    Junguntur tumulo pari.

Et qui Caucasea tigre ferocior
Humani sitiit flumina sanguinis,
Visus cuncta polo sidera tollere,
    Terra sub tenui latet.

Casu continuo quidquid erit, ruet,
Aeternum nihil est, quaeque gravissimo
Molimur studio, clade celerrima
    Collapsi cineres tegunt.

Virtus progenies candida numinis
Conculcat pedibus fata novissima,
Virtus una manet, nil diuturnius,
    Nil virtute perennius.

ODE III.

CASTITAS.

Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det,... adii Dominum, et deprecatus sum illum. (Sap. 8, 21).

Diva, quam dicit Pater esse Natam,
Filius Matrem meminit suavem,
Spiritus Sanctus sibi junxit almo
    Foedere Sponsam!

Diva bissenis redimita stellis,
Quae ferum calcas pedibus draconem,
Noxiae culpae vitiique aviti
Integra fulges!

Diva, quam solam spatiosus orbis
Virginem credit simul et Parentem,
Cujus illatum superas opinor
Corpus in auras!

Diva, quam laudat chorus angelorum,
Turba Sanctorum reveretur ingens!
Impetra, mater, nivei pudoris
Nobile donum.

Me sacerdotem venerandum unxit
Praesul... augusta quoties in ara
Offero nostrae pretium salutis
In cruce partae,

Et mihi laetus populoque dulce
Ferculum vitae paro sempiternae!
Lingua divino quoties rubescit
Sanguine dives!

Seu sacra cinctus sobole minister
Verba supremi refero magistri,
Seu reo tristi scelerum nefanda
Vincula demo:

Improbi damno stimulos amoris,
Et movent gnavas pia verba mentes...
Cordis exemplum trahet innocentis
Fortius omnes.

Heu tamen saevus latet intus hostis,
Et mihi cladem minitatur atram,
Tela curvato metuendus arcu
Torquet ab aure.

Mater, adcurro, celer adsto pennâ,
Stringe me blandis bona mater ulnis,
Admove scutum, puerum tuere,
Mater, amantem.

ODE IV.

NATALE DOMINI.

Et Verbum caro factum est. (Joa. 1, 14).

Gaudete coeli, sidera nubibus
Lucete pulsis, luna refulgeat
Reginà noctis, nunc sereno
Amne fluat taciturnus aether!

Mulcete silvas, o volucrum chori!
Exite, pisces, fluctibus aequoris,
Pardi quiescant, nec cruorem
Marmarici sitiant leones!

Ornentur arae, templa tapetibus
Vestite multis, clangite buccinis,
Taëdae coruscent, voce magna
Jessiadae modulemur hymnos!

Portenta fiunt: Virgo Deum parit!!
Laudant cohortes angelicae Deum,
Praesepe pastores salutant,
Carpit iter pia turba regum!

Portenta fiunt: Conditur omnium
Idemque Rector, Filius unicus
Aeternus aeterni Parentis
Hos hominum moriturus artus

Virtute Sancti Flaminis, omnium
Nostri misertus, quos tenuit scelus,
Assumsit, et quam fecit ipse,
Hac voluit genitrice nasci!

Hic pastor agnis consulet optimus,
Praebebit illis pascua limpidis
Foecunda rivis, et ferocem
Comminuet rabiem luporum.

Judaea vecors! criminis integrum
Tortura ficti criminis argues,
Frontique spinas atque dextrae
Sceptra dabis trabeamque tergo.

Agnum necabis supplicio crucis,
Purasque clavi transadigent manus,
Et corda scindes, perque membra
Purpureo fluet amne sanguis.

Portenta fiunt: protinus incubat
In sole squalor, praecipitat polo
Nox furva peplo, sacra vela
Marmoreae lacerantur aedis.

Concussa motu terribili tremit
Tellus, ruinam continuo trahunt
Rupes dehiscentes, profanum
Attonita stupet aure vulgus.

En rex Averni concidit impius,
Quem victor imo calce pedis premit;
Ruptisque servorum catenis
Ecce patet via strata coeli.

ODE V.

JULIANUS APOSTATA.

Videtis haec omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. (Matth. 24, 2).

Venti furentes saxa volantia,
Duras procellae disjiciunt trabes,
Uruntur instrumenta lapsis
Fulguribus, cineresque surgunt.

Concussa tellus motibus infremit,
Templi diu jam condita dissipat
Antiqua fundamenta, stratae
Contiguae tumulantur aedes.

Sparsae supremis vestibus insident,
Membris inhaerent praecipites cruces,
Coelumque nocturnum serenat
Crux rutilo redimita serto.

Volvuntur ignes, horribiles globi
Crebro citatis ictibus exeunt,
Laeditque multos ac trucidat
Flamma vorax, fugiuntque cuncti.

Delire Caesar, scilicet unicum
Impune sperni censueras Deum?
Victurus ignavis Quiritum
Quaere Diis meliora fulcra.

Frustra tyranni prodiga dextera
Fundebat amens aurea flumina,
Magnoque jam parti labore
Innumeri coiêre nummi.

Frustra petebat progenies Abrae
Almae Sionis dulcia limina,
Aestuque ferventes catervas
Legibus Alipius regebat...

Nunquam resurget prisca Dei domus,
Nullo madebit sanguine victimae,
Poenasque pendet semper exsul
Turba novas sceleris vetusti.

Umbras typorum lucida veritas
Dudum fugavit, fontis originem,
Qui turgidis excrevit undis,
Non repetit violentus amnis.

Non fallor: omnes carmina nos docent,
Cantata sacris carmina vatibus;
Non fallor: augusto Redemtor
Ipse fidem facit ore certam.

ODE VI.

LACRYMAE.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.
(Psalm. 50, 4).

Aeterne rerum conditur, o Deus,
Cui sparsa lucent agmina siderum,
Cui terra servit, cuique parent
Tartara carceribus tremenda.

Averte poenas, da veniam reo,
Sordesque multas dilue criminum,
Ignara damni fertur eheu
Mente levi glacialis aetas.

Torrens subacta terribilis nive
Attollit undas littoris immemor,
Per prata, per valles et urbes
Indomito spatiatur imbre:

Clementiae vim, sancte Pater, tuae
Exuberantem laetitia pia
Perfusus admiror, severam
Justitiam genialis aequat.

Haec perduellem fulminibus petit:
Ast illa parcit fletibus, illico
Dextram vibraturam coërcet,
Unda silet fugiente nimbo.

Tunc, o Redemtor, noster amor Deus,
Egressus auris caerulei poli,
Orbi paraturus jacenti
Sanguineo pretio salutem,

Me sauciatum cuspide saepius
Duro incubantem non releves toro?
Num filio tu provoluto
Ante pedes veniam negabis?

Tu Magdalenae pondere criminum
Demto tulisti pacis amabile
Donum, latroni deprecanti
Lucra paras melioris aevi:

Nunc ecce supplex intueor crucem,
Et sancta libo fervidus oscula,
Amplector ulnis, et dolorum
Assiduo rigo fonte lignum.

Dudum (fatebor) desipui, nefas
Immane damno, me scelerum pudet,
Delicta sordent, rodit eheu
Continuus mea corda vermis.

Legem Parentis, qui rotat invias
Moles polorum, natus abhorrui
Ingratus, audax atque stultus;
Parce, Pater, mihi parce sonti.

Orbem secabunt aequoris alites,
Findentque pisces aëra praepetes,
Flammisque miscebantur undae,
Et pecori lupus accubabit:

Me culpa nunquam praecipitem trahet,
Et sempiternam polliceor fidem!
    Horrebit ignem cor profanum,
      Igne tuo calefiet uno.

Stringat ferocem miles acinacem,
In me citato proruat impetu:
    Da robur imbelli lacerto,
      Et cuneos penetrabo victor.

Elata duro colla premam jugo,
Fundam fideles ore pio preces,
    Jejunium torquebit artus,
      Et miseros pater adjuvabo.

Poenam subibo, si jubeas, diu,
Seu pungat atrox spina calumniae,
    Seu tundat infelix egestas,
      Seu cruciet sitibunda febris.

Haec saeva morbo virga medebitur,
Fastidientem, qui rapido pede
    Labuntur, annos me cupido
      Perpetui stimulabit aevi.

Sed nuuc adesto, pectora judici
Pandam severo, vincula protinus
    Dissolvet augustus sacerdos,
      Liber agam per inane pennas.

ODE VII.

COEMETERIUM.

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. (1 Cor. 15, 51).

Circum me tumuli, strata cadavera,
Post vitae strepitus alta silentia,
Specto Necropolin, corripior gelu...
Divinam sapientiam

Nos muto edoceant ore superstites...
Vermes! ossa! cinis!... Croesus opum tenax
Heu nunc Irus eget... regibus editus
Movit cuncta rigetque nunc...

Et forma Venerem, viribus Herculem
Perfundit sanies... urbs habet incolas
Sparsos in domibus, serius ocyus
Omnes hic capiet locus!

Omnes ecce diu vidimus impares:
Omnes ecce pares! Sunt tamen impares:
Divergunt meritis: sudor it algidus,
Exsulto, facies nitet.

Hinc illux rapior, spe simul et metu
Idem sollicitor... laevia marmora
Auro picta dedit nobilis artifex,
Cultas sculpsit imagines,

Et circum virides frondibus arbores
Fixit gnava manus, funera termites
Flent curvi graciles: hortus amabilis
    Collapsos cineres tegit.

Felicemne domus splendida continet?
Nullus verba refert! aemula marmorum
Si corda haec fuerint? aureus innuat
    Ignes tartareos color?

Si laudes simulent carmina? si grave
Arbor moesta comis supplicium fleat?
Infelix decies, quem repulit Deus!
    Non nasci melius foret!

Festinate pedes... o pudor, haec cruce
Mausolea carent! scilicet a cruce
Vivens forte aberat!... magnifici (rogo)
    Ornatus tumuli procul!

Sanctos pompa decet, busta refulgeant
Heroum: validis turba gigantibus
Est Pygmaea minor, rana quidem tumet,
    Sed non fit similis bovi.

Franciscus sobole nobilis inclyta
Infami voluit sede quiescere:
En magni minimi sunt sibi, maximi
    Heu dici minimi volunt.

Gemmis luxurient corda frequentibus,
Auro luxurient... ferveat omnium,
Nec frigescat opus! fac tumuli, Pater,
    Fac dulces latebras amem;

Unam quaero crucem: dulcis amaraque
Mors est... nuntia crux dulcis amaraque:
Quid diro memorem crimine amarius?
Demto crimine dulcius?

Hunc ornat tumulum crux venerabilis
Ligno efficta rudi... praeterunt cito
Dementes homines: virginis attamen
Hic sanctae cineres latent.

Uni sacra Deo, lucidior vitro
Odisti thalamos, virgo; domi tuae
Parebas humilis nata parentibus,
Et felix modica penu...

Vovisti Domino vota fidelia:
Te risit satyris vulgus inhospitum,
Quaesivêre malis daemones artibus,
Ussit flamma libidinis:

At vexata licet virgo doloribus
Morborum, domitis hostibus omnibus,
Virgo dives opum, caerulei poli
Dudum sede reconderis!

Prudens virgo, lyrae te fidibus cano,
Felicemque canunt te aligeri chori...
Me torquent miserum saeva pericula,
Luctor miles... ovabone?

Da micas catulo, non peto filius
Panem (continuo limina patriae
Non multi superant): sed precor, o Deus!
Horrendum (decies precor)

Arce tartareum supplicium procul,
Multis associer militibus bonis,
Quorum perdomitis vulnera barbaris
Sanantur medico foco.

Est horum numerus maximus... o Deus,
Festinas adhibe vulneribus manus:
En desideriis turba suavibus
Quaerit praemia Coelitum.

Vos, quoscumque fides, spes et amor latet,
Huc huc ferte gradus: cras moriemini
Viventes hodie, discite vivere,
Leto occumbere discite!

Eheu vita volat, vita brevissima,
Anni praeterunt irrevocabiles...
Omnes in stadio currite, vos vocat
Felix meta, probaminor!

ODE VIII.

TEMPUS.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. (Gal. 6, 10).

Sanat ingentes medicina morbos,
Forte latrones bona rapta reddunt,
Neminem fallunt revocata famae
Probra sinistrae.

Sol fugat caecas rubicundus umbras,
Acre vesanos mare ponit aestus,
Pellitur blando superata vere
Aspera bruma.

Agger iratum fluvium coercet,
Igne deletae renovantur aedes,
Bella subsidunt, redeunt serenae
Munera pacis:

At quis elapsum reparabit unquam
Tempus? exstincti sepelimur omnes,
Nullus emergit superas in auras
Luminis hujus.

Donec in vitae bivio tenemur,
Tempus offertur, pretiosa gemma
Non diu lucet, rapiuntur anni
Praepete penna.

Ut cito pisces capiuntur hamo,
Casse vincuntur volucres dolosa:
Falce rumpuntur subita beatae
Stamina vitae.

Rura foecundet cereale semen:
Aureas spicas dabit ampla messis;
Et puta vites: latices parabit
Collis apricus.

Dormiunt multi vigilum labori
Semper infesti: cupidaeque fauces
Ferculo semper, sitibunda fonte
Labra carebunt.

ODE IX.

PRAESEPE DOMINI.

Natus est vobis hodie Salvator. (Luc. 2, 11).

Regina salve noctium,
  Cunctis amoena millies,
Dum te voluto carmine,
  Defixa mens stupet diu.
A fraude prima daemonis
  Te nulla pulchrior fuit,
Donec nitebunt sidera,
  Te non recurret pulchrior!
Almae tenebrae languida
  Mergunt sopore lumina:
Si nunc jacerem, saxea
  Essent profecto pectora.
Quousque terra panditur,
  Laetantur et fundunt preces;
O cara nox, ave bonas
  Inter sorores optima.
Nunc te saluto pectine,
  Vocalis exsulta lyra,
Adeste, cantemus melos,
  Portenta nos omnes trahunt.
Caligo circum funditur,
  Horrentque brumales nives:
Imago me rapit, diu
  Languebat humanum genus.
Errabat ignarum Dei,
  Deos colebat aureos,

Flebatque diri criminis
  Vinctum catena ferrea.
Ut irretorto lumine
  Explorat undas eminus,
Quae novit uxor ad lares
  Sponsum reversurum suos:
Avebat orbis anxius
  Salutis auctorem novae,
Vatem sequutus nobilem
  Rogabat ore supplici:
Rorate coeli desuper,
  Nubesque justum fundite,
Tellus odori germinis
  Instar Redemtorem cie.
Io triumphe, vocibus
  Pater supremus annuit!
Io triumphe, parturis,
  O Virgo Mater, filium!
Qui sparsa late sidera
  Terramque subjectam regit,
Tenellus infans abditum
  Praesepe non horret bovis.
Uni Deo sit gloria
  Et alma pax mortalibus...
Inter corusca lumina
  Canunt ovantes angeli.
Currunt beati nuntio,
  Flectuntque pastores genu;
Eoa promunt munera
  Stellam secuti principes.
Adire cunas audeo
  Et ipse peccator tuas;
O da scientiam, puer,
  Flammas amoris excita...

Te scire, mi Jesu, libet,
  Amare te solum juvat;
Labuntur anni praepetes,
  Aeterna me rapit quies.

ODE X.

COELUM.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. (Psalm. 41, 2).

Jactatus tumidi fluctibus aequoris
Votis cara petit littora patriae;
Quos tetri cohibent moenia carceris,
  Deplorant viduos lares.

Quaerit continuo rusticus impiger
Undantes segetes vinaque limpida;
Et pacis cupiunt otia territi
  Armorum strepitu gravi.

Cujus fracta diu membra quatit dolor,
Festinam medici poscit opem miser,
Et fontis vitrei pocula viribus
  Exhaustis faciens iter.

Qui terrâ capior, nil aveo nisi
Coelestis patriae dulcia limina....
Quanta ejus tenear sollicitudine,
  Non dicunt citharae modi.

Vernis prata micant sparsa coloribus,
Aestas larga parat dona laboribus,
Auctumnus spoliat frondibus arbores,
    Duro torpet hyems gelu:

Aeternam meditor saepe diu domum,
Et me digna trahunt praemia coelitum,
Et desideriis quaero fidelibus
    Dilecti faciem Patris.

Prima luce rubent culmina montium,
Et carae patriae fervet amor cito,
Sera nocte juvat lumina claudere,
    Sed coelum recolo meum.

Extemplo video strata cadavera
Pravorum subeunt jurgia principum,
Oppressos memini fundere lacrymas...
    Et coelum recolo meum.

Urbes flamma vorat, terra diu tremit,
Serpit dira lues, intereunt fame,
Exundant fluvii, crimina pondero...
    Et coelum recolo meum.

En me continuo praecipitem rapit
Sparsus sideribus caeruleus polus...
Sed quando capient me penetralia,
    Quorum laetor imagine?

ODE XI.

MORS.

Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usque quo? (Psalm. 6, 4).

Ecce nunc vivo, moriturus autem
Semper accedo propius sepulcro,
Cuncta labuntur, fugiunt caducae
Tempora vitae.

Quo modo, quando moriar? suprema
Me dies terret... periêre multi!
Num Deo laetus fruar, an malorum
Coetibus addar?

Me dies terret (fateor) suprema,
Terruit semper, subeunt perennes
Tartari poenae... tremefio, sudo,
Algeo totus.

Judicis Christi metuo tribunal,
Quidquid admisi temere, patebit;
Quid reus dicam? liber actor heu me
Carpet iniquum.

Esse nunc mundus videor salutis
Balneo lotus... trutinâ librabor
Nescia falli... graviorne lancis
Pondera tollam?

Odero sanctos an amabo fratres?
Dextero jungar lateri an sinistro?
Angor infelix, lyra flet, sedetque
Pallor in ore.

Sternar in lecto, feretro levabor,
Vota clangori sociata nolae
Supplices fundent, radiis micabunt
Lumina circum.

Unda, suffitus tumulo dabuntur,
Agnus in templo Deus offeretur...
Stant comae... extorrem patriâ tenebit
Forte... sed absint

Lividae curae, potior timore
Spes mihi fulget, cruce sum redemtus,
Hac ero victor, Deus ecce mecum
Proelia miscet!

ODE XII.

CASTITAS.

A muliere iniquitas viri. (Eccli. 42, 13).

Feminae limen fuge junioris:
Frater, eliso calet igne fomes:
O time frater: rapiunt vigentes
Tetra venena.

Pannus exesus tineis fatiscit,
Vermis infestat rubicunda poma:
Virginum multis nocuisse formam,
Noveris ipse.

Semper immunis domus a puellis!
Est sacerdotum penetrale sanctum:
Dormis in ripâ, tumido latebis
Gurgite mersus.

Divites auro trepidant latrones:
Conde thesaurum melior timore:
An lupae junctus caveâ tenetur
Agnus eadem?

Te putas fortem! mulier leones
Una devicit, cecidêre strati
David et Samson Salomonque! tune
Stabis arundo?

O time... gutta lapides cavantur,
In sinu flammas ale, vestis ardet,
Da pedi prunas, cruciatur ecce
Torridus igne.

Naufragi multi periêre! castra
Hostium sponsâ petiêre tracti!...
Frater, affatus et euntis arce
Virginis umbram.

Vinceris praesens fugiensque vincis,
Subdolo pisces capiuntur hamo,
Admovet visco volucres amoeno
Fistula cantu.

Est Amor curvo metuendus arcu,
Vulnus illius superatur aegre:
Hinc tuum sacro studiosus igne
Pectus adure.

ODE XIII.

AD BEATAM VIRGINEM.

Dabis... servo tuo cor docile. (3 Reg. 3, 9).

Mater (o semper mihi dulce nomen)
Mater, adcurro, tibi tendo palmas
(Te mihi matrem tuus ille carus
Fecit Jesus),

Mater (hoc nomen gemino suave),
O ades nato, pia vota promo,
Praepotens Virgo, tua, Diva, supplex
Munera posco.

Non peto gazas, mihi non honores,
Non salus curae, meliora quaero:
Virgo, divino rogitantis ure
Pectus amore.

Quem Deo dicam speciosiorem?
Unus est pulcher! velut igne solis
Lumen obtusum, meditata Patrem
Mens mea torpet.

Fluctibus mersum genus hoc periret,
Ni crucis lignum daret incubantes
Litori sontes, reseraret Agnus
Ostia coeli.

Qua viatores recreamur esca!
Christus in nobis! Quis amoris hujus
Aestimet flammas? rapiantur eja
Corda calore!

Natus immundus nitui recenti
Balneo lotus, Fidei lucernâ
Dives errorum tenebrosa felix
Arceo monstra.

Dimico miles, minitantur hostes,
Auget ignavi Deus ipse vires:
Certo victurus, sociisque nexus
Victor ovabo.

Arborum frondes, volucresque coeli,
Pulveres terrae, pluviaeque guttae
Non recensentur: nec amoena summi
Dona parentis.

Diligam, Virgo, nihil est amore
Dulcius sancto! quid in orbe quaeram,
Ni Deum vivum? peritura terrae
Munera temno.

Non amo labris, calet ecce pectus,
Tu (rogo) sacras ale Virgo flammas,
Ne gelu stringar, redeantque inertis
Tempora brumae.

Non metu servi, sed amore nati
Optimo Patri sociabor, anni
Transeant laeti, fugat una frontis
Nubila virtus.

Sum fores coeli penetrare jussus,
Et Deo fretus penetrabo: mucro
Saeviat crudus, moriens amorem
Servo per aevum.

ODE XIV.

ASCENSIO DOMINI.

Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.
(Eph. 4, 8).

Fulgetis melius sidera!... dicite:
Quae nunc festa dies? dicite: quo poli
Moles innumeras parvula nunc rapit
Tellus prodigio novo?

Coeli clausa patent eminus ostia!
Accurrunt juvenes, aligeri chori!
Immensae series! carmina concinunt!
Subrident roseae genae!

Quae nunc festa dies? dicite (vos rogo),
Coelestes Genii... dicite... sed volat
Terrâ egressus homo, corpore praepete
Altum permeat aetherem!

Qua virtute ruit nobilis advena!
Fulgent ecce crucis vulnera, dux praeit,
Extemplo sequitur spirituum chorus,
Exsultant, numero carent!

Et laeti excipiunt agmina coelites,
Se jungunt socios agminibus... domus
Omnes una tenet... dux sedet inclytus
    In summi solio Dei!

Victor perdomuit funera, tartara,
Eduxit tenebris concilium patrum,
Et nunc porta domus continuo patet,
    Ingens turba adeuntium,

Qui sacro Domini sanguine sordidas
Mundavêre stolas, et lacrymis diu
Ornavêre, diu carceris ignibus;
    Ceu gemmis totidem... morâ

Non interpositâ limina transeunt,
Felices animae, carmina concinunt,
Auratam feriunt pectine eburneo
    Omni tempore barbiton.

ODE XV.

PENTECOSTE.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto. (Act. 2, 4).

Laetemur: alto ventus ab aethere
Lustrat Sionis limina Spiritus;
    Laetemur: extemplo supremis
        Verticibus sacer ignis ardet.

Laetemur omnes: crimine spiritus
Pulsus vetusto — nunc merito crucis
    Mansurus hospes luce mentes,
        Corda redux penetrat calore.

Quae mole turris stulta superbiit
Dispersa linguis turba frequentibus,
Linguis iisdem nunc in unam
Est iterum socianda gentem.

Qua magnus Ister, qua Rhodanus fluit,
Qua volvit undas flumen Amazonum,
Qua Tigris Euphratesque currunt,
Qua rapitur Niger atque Nilus,

Connexa multis qua patet insulis
Ignota tellus Oceano sedens:
Vexillum idem conjungit omnes,
Sceptra tenet Deus Agnus idem.

Noctem fugavit lucida veritas,
Quae sparsa toto nunc rutilat polo:
Conatur incassum recentes
Tartarus agglomerare nubes.

Nubes recedunt, sol nitet aureus:
Invicta Sancto Flamine belluas
Nunc arcet, asservatque gazam
Imperii Caput alma Roma.

Culpas fugavit fervida caritas:
Mundi lavantur crimina balneo,
Sed dente stridet, sed feroces
Insidias struit hostis acer.

It sanguis, atro vulnere sternimur:
Piscina, qualis non Solymis fuit,
Quam turbat Agni Sponsa, certa
Omnibus est medicina mortis.

Dum serta multi laurea gloriae,
Dum fulva quaerunt pondera, dum placet
Lascivi amoris flamma: nunquam
His ego consociabor amens.

Tu vita, Jesu, tu via, veritas!
Tu meta semper, semper eris mea...
Labentur anni, sede coeli
Semper ero meliore felix.

ODE XVI.

IGNORANTIA.

Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum, quae fiunt sub sole, et quanto plus laboraverit ad quaerendum, tanto minus inveniat; etiamsi dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire.
(Eccle. 8, 17).

Sunt rudes omnes: capiunt arenae
Grana prudentes, stolidique nulla,
Ecce discrimen! nisi dicta laudes,
Mente laboras.

Credimur magni, sumus ecce parvi,
Tot viri discunt, rapiunt sopori
Impigri noctes, tenebrasque noctis
Non fugat Eos.

Sed tument multi! satyramne scribam?
An fleam coecos? miserere turbae,
Christe, dementis... pueris jocandi
Ampla facultas.

Vix, quod addiscam, ratione lustro,
Tela jam vibrat metuenda letum;
Scire quid nobis, nisi digna scitu
Discere velle?

Ipsa, quae scimus, male scimus, aegre
Tangimus limen, penetrare templum
Non licet: squalent nebulis operta
Lumina solis.

Solvit extemplo maris unda spumas:
Parta labuntur, didicêre multum,
Pauca servarunt, tenuis supersunt
Rudera muri.

ODE XVII.

AD CRISPUM INFIDELEM.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum. (Apoc. 3, 18).

Concinunt turbae, moriturque in ara
Innocens Agnus, bibit aure verum
Vulgus arrecta, genibusque supplex
Numen adorat.

Imber it: reddit medicus salutem
Saucio cordi, satiantur Iri
Ferculo vitae, resonant per aedem
Virginis hymni...

Crispe, num stertis piger, an liquores
Lector exhauris? viridine torques
Areâ sphaeram, sapit usta flammis
Herba Nicoti?

Num premis chartam calamo, an facetus
Excitas risum? lepidumne scenae
Nuntium lustras? laqueosne tendis
Criminis auctor?

Scilicet verbum Fidei repellis,
Et tibi solus sapiens videris!
Sole despecto fatuos ad ignos
Verteris amens.

Occidunt flammae, nisi ligna jungas:
Dilige, et credes! oleo lucerna
Ardet infuso: sape, Crispe... Jesum
Dilige, credes!

Aeneo coelo sata non virescunt;
Si madent aurae, generosa ramos
Arbor inflectit, tumet ampla magnis
Vinea botris:

Ecquis est auctor Fidei? parente
Nascitur coelo... taciturna labra
Semper exhorret comes affutura
Virgo petenti.

Crispe, desuda... didicêre docti,
Nauta, mercator, medicus, colonus...
Meta discenti sua quaeque, Jesum
Quaere latentem,

Quaere discendo redeunte sole,
Quaere discendo redeunte luna;
Lucra discenti... tibi se revelat
Vultus Jesu.

Sorduit Rhetor *), vitiique terso
Credidit coeno; pia vota supplex
Miles **) effudit, nituitque sacra
Lotus in unda.

Verba scrutanti sapientiorum,
Quo sit exemplo sapiens futurus,
Vir senex ***) pandit... sape, Crispe, vita
Ocyor Euro.

Conside censor, tua gesta lustra,
Ure cor flammis... tibi posce lumen...
Impiger suda... docilisque Jesum
Tiro sequeris.

ODE XVIII.

AD S. JUSTUM M.

Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. (Matth. 16, 18).

Auguste martyr, quem dedit Adria
Coeli viretis, ut solio Dei
Patronus adstares, vetustae
Urbis honor columenque nostrae.

Huc o retorque lumina pervigil:
Immensa votis turba fidelibus
Te quaerit, ereptumque dudum
Supplicibus veneratur ulnis...

*) Augustinus.
**) Cornelius Centurio.
***) Justino Martyri.

Haec templa demens ira Manatii
Exstruxit, altus numina mons sua
Eversa vidit, terque felix
Luce nova radiavit aether.

Non ulla mutat consilium Dei
Virtus! subacto crux Capitolio
Regina debellavit Orbem,
Crux Erebo metuenda tetro.

Invisa Christo trux sapientia,
Heu visa multis lumina spargere,
Demersit urbes nocte coeca,
Jura nefas temeravit ingens.

Vesana torvo Gallia spiritu
Dejecit aras, flumina sanguinis
Ivêre, sublatoque Christo
Thure lupas adolevit effrons.

Caligo fugit protinus, et novi
Fulsêre soles... quo radio nites,
O sancta tellus, quam decorat
Pontificum venerandus ordo!

Extollit atrox hydra caput, vomit
Letale virus, caesaque corpora
Sternuntur... aeternum manebit
Incolumis pia Sponsa Christi.

Immota rupes stabit in aequore,
Tundenda semper fluctibus horridis,
Undae repercussae... silebunt,
Quum Dominus renovabit Orbem.

ODE XIX.

PECCATORI.

Esto sapiens. (Prov. 23, 19).

Sed redi tandem, patriumque limen
Tange, placatus tibi tendit ulnas,
Qui dedit vitam, veniam rogavit
Christus amico.

Heu moras nectis miser, anteponis
Barbaras oras, ubi saevit aestus,
Et fames sparso macilenta crine
Viscera torquet.

An tibi liber locuplete servo,
Sis licet pauper, potior videris?
Desipis coecus, gemis heu tyranni
Compede vinctus.

Planta non crescit, nisi manet imber,
Ardeant soles, dederitque rerum
Conditur vires: Deus est (memento)
Auctor amoris!

Sacra divino calet orta flamma
Igne... concretum pius ure pectus...
Forte supremus calet ignis! eja,
Utere flamma.

Spiritus sanctus vocat ore semper,
Clamat interdum; movet ille cunctos,
Sed rapit paucos; leviore semper
Indice valvas

Pulsat, interdum graviore... Tulli,
Tene clamabit? periêre multi
Spe levi freti... rogo te, vocantem
Serius audi.

Raptus est latro, didicitque amare
Serus heu tiro; Cilicem furentem,
Rhetorem segnem violenta stravit
Dextera Christi...

Hisce portentum tribuit salutem,
Et tuo prostat medicina morbo:
Tene portenti capiat cupido?
Pharmaca sume.

Frangitur ramus, ferienda multis
Ictibus quercus; ferus ignis undae
Saepe non cedit; niviumque moles
Crescit eundo.

Insolens dudum glomeratur hostis,
Tela torquebit metuenda... tune
Victor extrema moriturus hora
Tela retundes?

Haeret appensus tenui capillo
Pugio: segnem penetrabit... orae
Assides altae: barathri sopitus
Ima tenebis.

ODE XX.

EUCHARISTIA.

Fecit grande convivium. (Esth. 1, 3).

Regis Assueri memini: recensent
Prisca lectori monumenta lautae
Gloriam mensae... meliore laetor
Munere coenae.

Vasta Persarum regio potenti
Paruit Xerxi, tumuitque fronte
Stultus elata: jacuit rapaci
Morte peremptus.

Qui parat nobis epulas opimas,
Est homo nobis similis, sed idem
Integer vitae, Deus alta coeli
Sidera torquet.

Jussit Assuerus proceres adesse,
Cum bonis pravos: scelerisque puros
En vocat Christus, miseros et ortos
Sanguine regum.

Susa laetatur, populum coëgit
Urbis Assuerus generosus omnem:
Mensa divini pretiosa regis,
Qua patet Orbis.

Ecce junxerunt nemoris vireta
Culta convivas: ubicumque sole
Templa collucent, pia turba mensae
Assidet Agni.

Arte conditae, numero carentes
Affluunt escae (vigiles ministri),
Aureis potant pateris ovantes
Dulcia vina.

Dat penus Christi potiora dona:
Dat suis sese, liquefacta cera
Jungitur cerae, sociamur icto
Foedere Christo.

Veritas mentem radio serenat,
Caritas urit pia corda flammis,
Traditur nobis melioris aevi
Nobilis arrha.

Ecce sex menses patuêre gazae
Et dies septem memoranda dona,
Finis est coenae, simul et vetatur
Turba redire.

Assident mensae patientis Agni
Hospites semper, repetuntque mensam,
Donec effusos cineres suprema
Buccina jungat.

Mollibus Persae dapibus refecti
Prorsus ardorem pepulêre edendi,
Vitat infuso temulenta vino
Pocula turba.

Sed fames Christi dapibus potita
Ardet, et nunquam superanda crescit;
Ligna da flammae, nova ligna semper
Expetit ignis.

ODE XXI.

COMMEMORATIO OMNIUM DEFUNCTORUM.

Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. (2 Macch. 12, 46).

Laetabamur heri: nos hodie dolor
Exercet, querulo nola gemit sono,
Sol quaerit latebras, bruma nives parat...
Heu feralis adest dies.

In templis feretrum, vela nigerrima
Albentesque cruces, naenia promitur
Multorum labiis, foederis immolant
Atris vestibus hostiam.

Omnes sacra petunt septa cadaverum,
Sunt vittae tumulis sertaque plurima,
Claris busta nitent luminibus, solum
Lustrantes penetrant aquae.

Heu natam genitrix, et juvenis patrem,
Fratrem blanda soror, sponsaque conjugem,
Patronumque cliens, et comitem comes
Deplorant lacrymis diu.

Hae non sunt steriles, sunt lacrymae preces,
Et nubes superant vota fidelia,
Et reclusa patent ostia carceris,
Et spectant faciem Dei.

Non, non dividimur funere... spiritus
Connectuntur adhuc, adsumus omnibus,
Castus fervet amor, vulnera militum
Lenimus medica manu.

Ni possemus opem ferre jacentibus,
Heu torqueret amor saucia pectora,
Jesu dulcis ave, cara Fides tua
Haec solatia me docet.

Est hic sanctus ager, semina messibus
Sunt heic sparsa, brevis membra sopor tenet,
Sunt omnes vigiles, buccina dum strepit,
Et conjungit amor suos.

Victuri morimur, tristis originem
Mors olim velita traxit ab arbore:
Nunc prostrata jacet, victor in arbore
Mortem perdomuit Deus.

ODE XXII.

CRUX.

Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant. (Joa. 12, 35).

Eja laetemur, caput en draconis
Sordet elisum, potior veneno
Sanguinis virtus, pretium salutis
Obtulit Agnus.

Est Deus judex hominum misertus,
Omnium poenas luit Unus, eja
Eja laetemur, melior triumphus
Non fuit ullus.

Eja laetemur, via strata coeli,
Et Patris vultum licet intueri,
Eja curramus, penetrale cuncti
Dulce petamus.

Flebiles haerent... sapiamus eja,
Heu gelu torpent oriente vere,
Heu moras nectunt graviora multo
Pectora plumbo!

Nullus invitus trahitur... vocamur,
Dux viae nobis datur, heu retrorsum
Plurimi stulti pedibus moventur
Non redituri.

Gaza nunc fulget, capiamus aurum;
Rivus en manat, recreemur unda;
Nave collisa tabulam prehendat
Dextra salutis;

Fortis accedat medicina labro,
Balneo fracti renoventur artus:
Ecce defuncti sibi nulla possunt
Lucra parare.

ODE XXIII.

COELUM.

Semper cum Domino erimus. (1 Thess. 4, 16).

Ure me sacris, Pater alme, flammis,
Ure me semper... nisi amore ducar,
Filio nunquam patria potiri
Sede licebit.

Ecce nil quaero nisi rura coeli
Omnibus gazis pretiosiora,
Cuncta labuntur, manet una semper
Candida virtus.

Sed via est praeceps, penetrare cogor
Hostium turmas, rapidus lucernam
Turbo ne exstinguat, sterilisque parcat
Bruma calori.

Si pedum vires minuantur? altâ
Rupe delabar?... periere multi...
Quando supremum... sed an ipse quondam
Tango cacumen?

Heu timens spero, timeoque sperans...
Ite veloces, precor, ite menses,
Me tenet coelum, lateri fidelis
Angelus adstat.

Eja scandamus, propius beatum
Limen accedet... praeiêre multi,
Ecce nos urgent tenera sodales
Voce, sequamur.

Sunt breves curae, rapiamur alis,
Otium lassis faciet Redemtor
Carus aeternum, peritura sordent
Munera dudum.

ODE XXIV.

VER.

Jam... hyems transiit... flores apparuerunt in terra nostra. (Cant. 2, 11-12).

Diffugêre nives, intepuit gelu,
Pelluntur Boreae, flant Zephyri leves,
Vestes pelliceae sunt odio, nova
Incrementa capit dies.

Sunt umbrae nemori, sunt virides comae,
Argutae volucres carmina concinunt,
Undas findit olor, sol melius nitet,
Ardet caeruleus polus.

Sunt gemmae reduces arboribus, placent
Fragrantes violae, splendidior vitro
En rivus saliens, gramina prodeunt,
Agrestes calami sonant.

Omnes continuo tecta relinquimus,
Nunc vires redeunt, nunc juvenescimus,
Gaudemus pretio veris amabilis,
Nobis nemo beatior...

Ver offers placidi cordis imaginem,
In quo fervet amor: rex Deus imperat,
Et cor continuo subditur, et lubens
Fert carum Domini jugum.

Cordis tuta domus: non patet ostium,
Sed valvae bifores vectibus et sera
Firmantur, rabidis sunt penetralia
Interdicta latronibus.

Saevit latro ferox, et vehementibus
Direpturus opes ictibus impiger
Valvas aggreditur... porta repercutit
Ictus, latro repellitur.

Sol tingit rosea luce cacumina:
Latrones redeunt; obruit horridis
Nox coelum tenebris: latro revertitur...
Non effringitur ostium.

Carnis blanditias ridet inutiles
Cor fretum Domino, ridet inutiles
Assultus hominum, ridet inutiles
Torvi daemonis impetus.

Dum rauco reboant atria murmure,
Demulcent adyton sacra silentia:
Unum cor loquitur, verba fidelia
Unum cor Domini refert.

O dulces latebras... nectit ibi moras
Jesus continuas... seu stola candidis
Fulgescat radiis, seu rubeant pia
Fuso vulnera sanguine:

Unum cor Dominum quaerit amabilem;
Dum sontes adamant puniceas rosas,
En spinas rigidas cor petit innocens,
Ambit verus amor crucem.

Contemnit fatuam cor sapientiam,
Et praefert sapiens stultitiam crucis...
O ver cordis ave... nil pretiosius,
Nil hoc vere suavius.

ODE XXV.

FIDES ET SCIENTIA.

Credo Domine. (Marc. 9, 23). *Alii autem sermo scientiae.* (1 Cor. 12, 8).

Romanae Fidei dulce jugum fero,
Me supremus habet pastor ovem suam,
Quantas condo sinu divitias! crucis
Sunt arcana suavia.

Olim ignota viris jam didici puer,
Miscentur tepidis gaudia lacrymis,
Thesaurum manibus stringere me juvat,
Latronesque repellere.

Delector pretio muneris, o Deus,
Quamvis me laetant multa, scientiae
Vi sunt nixa tuae, nos sumus heu rudes,
Unus tu sapiens, Pater.

Quo nunc ingenio corripior? Loca
Me lustrare juvat luce recondita,
Terret consilium! quî fragili secem
Immensum pelagus rate?



Si poenas jubear forte graves dare?
Humanis oculis invia, quae peto!
Quantae molis erit, credere, quae patent
Intellecta?... levissimae!

An qui non capio gutture flumina,
Undas ore vetor demere limpidas?
Qui vesci nequeo fructibus omnibus,
Nullos admoveam labris?

Qui spectare acie continua jubar
Non possum, tenebris condar inanibus?
Heu multi socii desipiunt, nocent
Coeca sollicitudine.

Est infesta cruci vana scientia,
(Non est, quod dubitem,) quis tamen ambigat,
Sanam ferre cruci lucra scientiam
Sancti munere Spiritus?

Sunt plebi exitio, sed patrios quoque
Servant arma lares; igne ruunt domus,
Torret flamma dapes; pascua non negat,
Qui saevos abigit lupos.

Ancillam Fidei vera scientia,
Se censet, dominam falsa scientia,
Hinc credo, ut capiam, si fieri potest;
Non autem capio, ut dein

Credam; non trutinâ libro superbiae,
Sed commendo Fidem certa negantibus;
Errant, qui vigiles lumine sidera
Spectant, astra vagantia

Non errant. Hodie sacra volumina
Spernuntur, petimur vi sapientiae:
Felix ingenium vi sapientiae
Turmas conterat hostium.

ODE XXVI.

MORS.

Stipendia... peccati mors. (Rom. 6, 23).

Nigro quiescit pallidus in toro,
Non est palato, naribus, auribus
Vis ulla, torpent membra, coeci
Sunt oculi, taciturna labra.

Alto sepulcro conderis, optima
Multis daturus fercula vermibus,
Et corpus hoc vixisse quondam,
Ossa ferent cineresque sparsi.

Stravêre quercum torrida fulgura,
Rupêre navem saxa latentia,
Demersit agros flumen atrox,
Turbine dissiluêre tecta...

Flemus ruinam corporis inclyti,
Quod finxit ingens vis sapientiae;
Labuntur anni, vita mors est,
Nascimur, ut mala multa passi

Leto occidamus! frangit opus suum
Rerum supremus conditor omnium!
Non diruit pictor peritus
Effigiem statuamque sculptor!...

Natura nupsit spiritui, Deo
Felix cohaesit spiritus, et fuit
Vere beatus, jussus esse
Rex famulae famulusque regis.

Fecit superbum lividus, heu Deo
Servire stultus noluit: hinc jugum
Et corpus excussit superbi:
Mors sceleris metuenda poena.

ODE I.

CHRISTUS.

Consummatum est. (Joa. 19, 30).

Quo, quo ruis vesaniae,
Gens perduellis duriorque cautibus,
Immanior leonibus,
Qui rugiunt praedamque discerpunt suam,
Crudeliorque belluis
Ferocibus, quas nutrit Hyrcanum nemus!
O aufer aeneam (precor)
A corde loricam, reduc innoxium,
Soli trucidentur rei.
O quanta Jesus ore fudit aureo
Sententiarum flumina,
Labore quum nullo fatigatus loca
Perambularet omnia
Triennis en salutis ostendens viam
Ceu pastor erranti gregi!
Caterva saeviens, pedum vestigia
Sacri viatoris manent.
Cessisse crudam maximae turbae famem,

Deserta bis annuntiant;
Teterrimos fugisse morbos illico,
Laetae phalanges praedicant;
Ac terra legum (non negabis) immemor
Stupebat auctorem suum;
Multi redibant ad sepulcra spiritus
Eo jubente protinus;
Vi vocis extorquebat Orci principi
Humana victor corpora;
Huic et cohortes angelorum praepetes
Regi ministrabant suo;
Hunc editum Deo Parente Filium,
Fluenta Jordanis sciunt!
O pertinax, delire grex, pericula
Minantur, in praeceps ruis...
Adsunt Quirites, cincta vallo moenia
Balista pulsat, barbara
Spargit cruorem civium discordia,
Et mater infantem coquit
Jejuna, grassatur lues, cadavera
Exesa foetent, inclyta
Urbs corruit Davidis, injecta face
Templi palatium cremat
Tito vetante miles, ingens caeditur
Ferro caterva, funditur
Terras in omnes gens superstes, gloriam
Regni caducam filii
Ubique flent Sionis hospites sacri,
Et hospites flebunt diu...
Justi redundat in nepotes sanguis heu
Patrum vocatus omine.
Quo volvor? heu quo me tumultus abripit
Insanientis agminis?
Infame lignum gestat in collem miser

Circumdatus latronibus,
Utramque acuti perforant clavi manum,
Utrumque perforant pedem.
In ore pallor excubat, nigro coma
Concreta pendet sanguine,
Ventique motibus resistit, spinea
Corona pungit verticem,
Torpent flagellis verberata tergora,
Unumque corpus vulnus est.
Coeli choreas inter ac terram bonus
Pendet Redemtor in cruce,
Et dira vulgus evomit ludibria!
Eheu dolorem fert diu,
Quem noster horret sensus, et nec ingemit,
Nec lacrymis vultum rigat.
Quis non potentem viribus constantiam
Miretur? oblitus sui
Hostes recordatur frementes, brachia
Expandit ad Patrem suum,
Et voce blanda perfidis pacem rogat.
Infanda caritas Dei!
Amoris o ignes inenarrabiles!
O trabs amica naufragis,
Decora crux, mortalium spes unica,
Quo te salutem carmine?...
O quanta coelum nox recondit nubibus!
(Portenta fiunt), scinditur
In aede velum, commoventur cardines
Telluris, alta rupium
Excussa motu corruunt cacumina,
Multi resurgunt mortui!
En morte victa vivit humanum genus!
Io, triumphe, dicite,
Quaecumque pontus, aura, terra continet,

Io triumphe, dicite,
Draconis atri sordet elisum caput,
Patetque coelorum via,
Laetos beati concinunt hymnos chori.

ODE II.

SARBIEVIUS.

Laudate eum in psalterio et cithara. (Psalm. 150, 3).

Vidi sopitus Sarbivium patrem,
Ignatianae gentis amabilem
Vatem, repentino movebat
Barbiton ingeniosus aestu.

Labro canoro dulce dabat melos,
Nullo silebat flante Favonio
Arbos, repercussas tenebat
Una diu levis aura voces.

Mutus sedebam, me chorus alitum
Stipabat ingens, et lepores humi
Juncti cubabant, crudus aures
Inter oves lupus arrigebat.

Promebat eheu pectore flebiles
Alto querelas, lumina tristia
Torquebat in coelum, genasque
Gutta cavas simul irrigabat.

"Quo (sed magistri non imitor modos)
Quo fertur audax impetus, improbi
Vates? Fides ejecta terris
Exulat imperio subacta



Mentis protervae; sacra calumniis
Rident profanis, opprobriis petunt
Sedes piorum, quanta Christi
Spicula confodiunt ministros!

Linguae procaces... virgineus pudor
Eheu frequenti carmine luditur,
Dum mella circumdantur orae,
Felle tument medicata vasa.

Dignosque flammis vindicibus libros
Versant diurna tot juvenes manu
Versantque nocturna, brevique
Coecus agit furor innocentes,

Sordetque vestis candida balneo
Elata prisco, denuo corruunt,
Quos Christus erexit... sequetur
Tarda licet sua quemque poena.

Crines rigebunt, condita faucibus
Haerebit imis vox, gelidus fluet
Sudor per artus, pallor ingens
Ora teget truculenta vatum,

Quos ad tribunal buccina judicis
Raptabit olim nuntia fulminis,
Quos imbre non delenda semper
Flamma vorax penetrabit Orci...„

Salvete fratres, quos dedit aurea
Aetas sodales, quos genuit pater
Hispanus allectis iniquo
Militibus metuendus orbi.

O cara dudum progenies Deo!
O gloriosi Davidis aemule
Parnasse! testudo suavis
Vestra Deum resonabat unum.

Lignum salutis tot sapientibus
Vilescit eheu, sanctaque carmina
Invisa mundo delitescunt
Forte diu terebrata verme.

ODE III.

LYRA.

Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu sum. (Ps. 103, 33).

Me semper urgent somnia dulcià
Expergefactum, candide Sarbivi!
Finxisse te mores recordor
Ausoniae citharae potentem.

Sed nunc alumni consilium proba:
Urit cupido pectora carminum...
Descende, testudo suavis,
Ut moveam tua fila plectro.

Te perstrepentem Sontius audiit,
Dilectus olim cujus in oppido
Tiro sedebam, mox adultum
Te rapuit mihi magnus Ister:

At nunc Juvavi fluminis accola
Te promo rursus... cara mihi (precor)
Esto sodalis, donec orbis
Luce fruor, sociemur ambo.

Docto Lyceo me reducem sonis
Demulce amoenis: seria sunt levi
Miscenda ludo... vulgus odi,
Gaudia tu mihi sola praebes.

Si me jubebit multa Deus pati,
Testudo, tecum conquerar, et cito
Imbres quiescent, tu dolorem
Alloquio relevabis almo.

Cantabo summo carmina numini
Effusa grato corde, decet sacer
Hic cantus altaris ministrum,
Sarbivium sequar imperantem.

Quot me virorum continuo trahunt
Exempla! David concinuit Deo,
Laudesque gens Ignatiana
Concinuit redimita lauro.

Vexilla dicam paciferae crucis,
Atroque Christi funere vivere
Testabor omnes, vota prodam
Ante boni solium parentis,

Ut dulce nobis sit Fidei jugum,
Subdamur omnes; pestiferum scelus
Exhorreamus, semper uno
Cor Domini calefiat igne.

Si rupta vento dissiliat ratis,
Dicam: Salutis dat pelagus trabem,
Huc, o natantes, hanc tenete,
Ad solidum ruit ista litus.

Haec vita cursu praepete labitur,
Certate fortes, vincite, vincite,
Aeterna coelorum corona!
Hosce lyrâ modulabor ignes.

ODE IV.

AERUMNAE.

Patientia vobis necessaria est. (Hebr. 10, 36).

Mortales patimur; nos genuit pater,
Cui stulto nocuit fructus ab arbore
Avulsus vetitâ, culpa nepotibus
Est foecunda doloribus.

Poenâ saepe dolor nascitur; heu luto
Cuncti polluimur, subdere nolumus
Summo colla Deo: jure nefarios
Tundunt verbera numinis.

Occidit juvenes flamma libidinis,
Vires attenuat corporis heluo,
Et virgo choreis trita furentibus
Leto praepete sternitur.

Orbis crimen aqua vindice mergitur,
Ardet Pentapolis sulphuris ignibus,
Lugent Isacidae Tigridis accolae,
Vermes Antiochum vorant.

Omnes desipimus: sol radiis calet,
Exundant fluvii, morbus inhospitus
Depascit populos, intereunt boves,
Moerent pampinei botri.

Urit flamma domos, foeta superbia
Semper bella ciet, flet penus indiga,
Vectigal superat lucra, tumet mare,
Navis gurgite conditur.

Tellus insolitis motibus intremit,
Latrones rapiunt parta laboribus,
Irae sica ferox sanguine tingitur,
Et lugent vidui lares.

Extorquent avidi fraude pecuniam,
Propulsatque manus machina divitum,
Croesi luxuriant, esurit heu miser
Cum multa sobole pater.

Detrimenta parant legibus (o dolor)
Vesani proceres... parce modis, lyra,
Humectate genas, o lacrymae, diu
Aetas ferrea labitur.

Verum saepe dolor nobile pharmacum:
Artus ignis edax concremat, et secat
Artus culter atrox... vulnera protinus
Sanantur medici manu.

Tellus, quam nivibus bruma coërcuit,
Fert molles violas, pascua gramine
Vestit, vina cadis, poma dat arbori,
Et flavas segetes agro.

Fratrum livor iners umbraque carceris
Rectorem pariunt, qui populo suo
Et patri tenero consulit optimus;
Senarum domino cibos

Uxor tarda parat, dira fames premit
Latrantem stomachum... sacra volumina
Lectorem recreant, sordibus horruit,
Et fit candidior nive *).

Prostravit rabies bellica militem,
Et dum vulneribus lenta salus redit,
Libri cor renovant, dat sobolem Deo
Pompejopolis uberem.

Aurum flamma probat, ponderat ilicis
Virtutem Boreas, intrepidum ducem
Armorum strepitus, sollicitum docet
Pastorem veniens lupus.

Odit Roma crucem, Marmaricus leo
Dentes exacuit, vibrat acinacem,
Torquet cruda manus verbera, telaque
Depromit pharetrâ, strues

Lignorum rutilant, unda vocat maris,
Subsidit barathrum, prominet ardua
Rupes, pungit acus, mensa negat cibos...
Quanta saevitia furit

Orbis Roma caput! Roma superbiens
Subjecit populos: sacra phalanx Deo
Romam vicit ovans, sertaque gloriae
Ornant tempora Martyrum.

---

*) Joannes Colombini.

Herois memini, quem tenet Arsia **),
Felix occubuit, nunc fruitur Deo:
Fortunata virum Gallia protulit,
Fecit Gallia martyrem.

En somno relevat membra brevissimo,
Et fauces avidas exagitat fame,
Noctes atque dies numinis arbiter
Semper viribus integer

Vulgi continuo crimina diluit,
Insontem cruciat spina calumniae,
Hosti parcit amans, una laboribus
Finem mors dedit arduis.

Quae virtutis opus lingua recenseat?
Quis narret calamus? quae lyra concinat?
At morbos pepulit vir venerabilis
Nullius medici manu

Pellendos, hominum plurima millia
Victis daemonibus restituit Deo...
Tanti perpetuus fit dolor... attamen
Quaerit delicias homo!

Dat culpae veniam presbyter, at manet
Eheu poena rei debita crimini;
Hanc poenam minui posse doloribus,
Tolli posse doloribus,

**) Joannes Vianney.

Jam norunt pueri... ferte igitur crucem,
Qui vultis patriae limina tangere,
Aeternae patriae; fundite lacrymas:
Haec est una salus... pati!

Ni poenas redimam, dum licet, incola
Terrae, me subito carceris efferi
Flammae corripient... est lacrymae levis,
Flammae poena gravissima.

ODE V.

PATRI.

Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum. (Matth. 19, 14).

Noli flere, pater... jam quereris diu
Raptum Cornelium, non decet hic virum
Fletus, parce tibi, non revocat dolor
Exstinctum puerum tuum.

Uxor te superat candida, quae suas
Jam tersit lacrymas, egregiam sequi
Te vellem comitem, gaudia non peto,
Sit cordi placidus dolor.

En quicumque sapit, tristitiae modum
Ponit... flecte genu, nunc veniam roga,
Aeternumque proba consilium Dei,
Unus sceptra tenet manu.

En nostri capitis dinumerat comas,
Novit, quae fugiant tecta domus aves,
Dat divina Fides ingenio faces,
Et solatia pectori.

Non, non diffiteor... Cornelius tuus
Arguto eminuit mentis acumine,
Non, non diffiteor... numinis innocens
Cor efferbuit ignibus.

Hinc illum rapuit, qui pueros amat,
Nunc spectat Dominum cominus, et melos
Illi continuum par canit angelis...
O quantis radiis nitet!

Cur haec alma negas gaudia filio?
Non nato lacrymae, sed tibi consulunt,
Privas alloquio conspicui Dei,
Quem velles reducem tibi.

Imbecillus amor... nonne patres bona
Conquirunt pueris? da bona, quae manent!
Infestos pueris voce redarguit
Olim Jesus apostolos!

Infestus puero tu genitor cave
Censuram Domini! sanguine filii
Tinxisset tremulam Thariades manum
Legi numinis obsequens:

Et tu, tu quereris Cornelium tuum,
Quem morbus rapuit! Naufragio truci
Terremur miseri, donec in aequoris
Hujus fluctibus insumus:

Si mersisset atrox unda superstitem?
Tu luges, et ego gaudeo; si potes,
Errantem cohibe... saevus amor tuus,
Et blandum est odium meum.

En Job deciduis aedibus obrutam
Aequa mente tulit progeniem suam,
Sacravitque Deo dulcia pignora
Ditandus sobole nova:

Est, o Paule, minor nunc tibi filius,
Jucundoque patris nomine te vocat,
Nunc istum ingenuis moribus imbue,
Fac fratri similem pio.

Uni vive Deo, te genitus juvat
Effusibus precibus, tu genitum sequens
Coeli carpe viam, restituet bona
Te rapto puero dies.

ODE VI.

MORS.

Moriatur anima mea morte justorum. (Num. 23, 10).

Virgo, sum tristis, moriemur omnes,
Nos tamen mortis latet hora certae,
Num vir occumbo, fragilisne tango
Lustra senectae?

Quae mihi pandit regio sepulcrum?
Num levi morbo necor an feroci?
Num brevi an longo? vigil an sopitus
Funere tollor?

Num toro letum rapit incubantem?
An truci sica jugulor latronum?
Num boni pallet facies, malusne
Lumina claudo?

Cor gravat durus lapis; alma Virgo,
Alleva pondus, tibi vota promo,
Moestus ad coelum didici rogantes
Tendere palmas.

Voce nunc blanda queror, et querendo
Vinco moerorem, memini Parentem
Te Dei nostram simul esse matrem...
In cruce matrem

Te mihi Jesus dedit! o suave
Nomen! o Mater, tibi natus adsum,
Mater, exsulto, pretium salutis
Mente recordor.

O quis hoc tanto pretio solutus
Vellet innecti scelerum catenis?
Quem scio totum mihi se dedisse,
Huic ego vivam

Totus! En sanctam subit ille mortem,
Cujus est semper pia vita! Pugna
Non diu fervet, sequitur perennis
Gloria fortem.

Verba ne factis meliora fundam,
Virgo! formido, validis ferimur
Ictibus cuncti, similesque vitro
Saepe (fatebor)

Frangimur... Mater, bona Mater! arce
Hanc gravem cladem, miserere nati,
Da mihi, Mater, precibus beatam
Tangere metam.

En Dei Sponsam venerabor Agni,
Tiro sim tantae docilis magistrae,
Sit Fides nullo tremebunda motu
Aemula rupis.

Spem salutari sociem timori,
Semper ad coelos levat illa mentem,
Iste demissam teneat gravantis
More saburrae.

Fac repentinam procul esse mortem,
Impetra, Mater, lacrymas doloris,
Fletus est dulcis, tumido laventur
Flumine culpae.

Cor sacerdoti reserem, Deoque
Cor idem soli caleat, minister
Vindicet virgâ scelus, en lubenter
Hoc fero vulnus.

Det reo judex veniam roganti,
Alba me vestis tegat innocentem,
Balneo mersus puer hac nitebam
Veste decorus.

Adsit aeternae, speciosa Virgo,
Ferculum vitae tuus ille Jesus,
Pellat angores pretiosus almae
Humor olivae.

Cerei lecto sacer adstet ignis,
Atque lustralis riget unda vultum,
Et crucem stringens manibus fugaci
Eximar aevo.

ODE VII.

COELUM.

Beati, qui habitant in domo tua Domine. (Psalm. 83, 5).

Odi profanum colloquium, sacro
Delector aestu, cara silentia
Conclavis angusti canora
Fila jubent resonare, vates

Sublatus alis aethera permeo
Mansura quaerens, interitura nunc
Calcasse dicar, nunc beata
In patria juvat immorari.

Gemmis coruscant moenia, civitas
Fulgescit auro, tetrica nox ibi
Non spargit umbras, fundit unus
Sol rutilos Deus Agnus ignes.

Velo remoto candida Veritas
Regina vultu conspicuo sedet;
Arcana contemplatur, alis
Prisca Fides petit alta coeli.

Da sana coeco lumina, protinus
Miratur undas coerulei maris,
Seu parcat effusum carinis,
Seu rapidis quatiatur Euris;

Miratur hortos, arva, boves, aves,
Montes, racemos, poma, nemus, domos,
Lunam bicornem, solis orbem,
Astra simul taciturna coeli!

Mirantis aestum nulla canit lyra...
Rerum beatus conditor omnium
Se praebet Electis, Deumque
Attoniti sine fine spectant!

At saepe docti laude scientiae
Vana tumescunt!... mens hominum bibit
Heu lenta guttas, fundit ipsas
Mens fatui terebrata guttas.

Torrens subacta praecipitat nive,
Et volvit undas aggeris immemor,
Rurisque demolitur aedes,
Imbre ferox populatur arva:

Devastat orbem bellua centiceps...
Miscetque pugnas foeta superbia,
Aurumque corradunt latrones,
Lena lupas scelerata cogit.

Peccator audax turpe nefas amat,
Nullum proterva fronte Deum timet,
Exlex triumphat, dura terrae
Sceptra tenet metuendus orcus.

Recti tenaces saepe reconditis
Abduntur antris; ut lepores cane
Torquentur eheu... tristor idem:
Nemo tenax sine labe recti,

Nemo nitescit candidior nive,
Et saepe justos culpa coinquinat:
Vertuntur eheu mixta pravis
In cariem rubicunda poma...

Vos o beati numinis accolae!
Vos urit omnes fervida caritas,
Vos o cor unum sempiternus
Urit amor sine labe Patris!

Ingrata belli praeteriit dies,
Pax mulcet aures carmine, byssus en
Vestem decorat, palma dextram,
Tempora sunt redimita lauro.

O turba cunctis edita gentibus,
Quis te sagaci mente recenseat?
Non astra coeli, non arenas
Assiduo numeramus ore.

Ivêre gentes: una subest Deo
Gens emta Christi sanguine, barbarae
Ivêre linguae: semper unam
Lingua crucis facit una gentem.

Matrona, virgo, vir, puer et senex,
Reges, coloni, pastor et artifex,
Miles, sacerdos, nauta... semper
Foedere consociantur uno.

Non ulla rerum copia coelites,
Non ulla avorum gloria praedicat:
Censentur exacti labores,
Est operi sua cuique merces.

Haec terra dumis horrida plurimis,
Carpitque raras fessa manus rosas,
Tristamur omnes, vita fletus,
Nascimur, ut patiamur, omnes.

Sol auget ignes, grando minax ruit:
Campusque messes, uva negat merum;
Squalent egeni, mactat eheu
Dira boves hominesque pestis.

Rostrata navis turbine mergitur,
Uruntur igni celsa palatia,
Multosque contexêre montes,
Damna parat tremefacta tellus.

Lamenta pono... cara domus Dei
Non luget unquam, lacryma non rigat
Effusa vultum, barbitosque
Laetitiae dabit una vocem.

ODE VIII.

PECCATORI.

In timore Domini esto tota die. (Prov. 23, 17).

Terga da leto, pete castra vitae,
Stulte peccator! pedibus catenas
Aufer horrendas, glaciemque duram
Rumpe securi.

Quis Deo major? movet ore stellas,
Excutit frondes; amor est beatus,
Tempus ignorat spatiumque, origo
Metaque rerum!



Unus est pulcher!... cinis umbra servi!
Dat tibi nato Pater almus escam,
Tecta, dat vestes, sapientiamque,
Dat tibi Christum!

Oscines adsunt: herus en vocavit;
Vulneris parcunt medico leones:
Belluam vincis ratione, donis
Obrute servi.

Montium texit juga summa pontus,
Sulphur exustas tumulavit urbes,
Hostium turmae latuêre virga
Indice mersae.

Solve, quod debes... tua damna luges,
Si miser langues, rapiuntve lucra
Parta latrones, acuit dolosas
Lingua sagittas:

Si qua fecisti, tegit ecce peplo
Lucra virtutum fera culpa, damna
Flebilis luge... generosa tollet
Laçryma peplum.

Lacrymae tollunt scelus omne, reddunt
Candidam vestem... redit agnus errans,
Pastor exsultat, lupus ardet ira,
Gaudet ovile.

ODE IX.

SCELUS.

Conteretur cum delinquente delictum. (Eccli. 27, 3).

Calcantur pedibus jura potentibus,
Late sceptra tenet trux violentia,
Heu quocumque miser lumina torqueo,
Virtutis pretium latet.

Laxant indomitae frena licentiae,
Viles non aliis, sed sibi consulunt,
Heu fas ora probant, squalida pectora
Unum turpe nefas amant.

Tendunt insidias terribiles lupi,
Imbellemque gregem dentibus horridis
Saevi dilacerant, viscera palpitant,
Et fumat tepidus cruor.

Suspirant miseri... quot lacrymae diu
Volvuntur tacitae! Scilicet arbores
Infirmas Aquilo turbidus eruit,
Ignis, quidquid adest, vorat!

Deliri excutiunt dulce jugum crucis,
Regina est ratio bellua centiceps:
Dic quae meta malis! nullane fluminis
Undas ripa coërceat?

Horrescit glacies: sunt nemori comae;
Nubes trudit aquam: sol melius nitet;
Morbus membra quatit; cara salus redit...
    Unum flagitium manet.

Spinis continuo septa rubet rosa,
Quae semper liquidis fragrat odoribus;
Solertis medici pharmaca non placent,
    Aegrotum relevant brevi.

Quum spicâ tumida messis inhorruit,
Exurunt lolium; retia littori
Tradunt lucra maris, qui retinent bonos,
    Pisces rejiciunt malos.

O testudo, sile... buccina perstrepet,
Jungentur cineres... quo trahor impetu?
Aeternum cruciat supplicium reos,
    Mulcent gaudia coelites!

ODE X.

JEJUNIA.

Sapientia vero ubi invenitur?... nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. (Job. 28, 12, 13).

Ceu, dum sol radiis coelo nitidissimus ardet,
    Ignis lucernae deficit:
Sic, tua dum memini jejunia sancta, Redemtor,
    Me semper ignavum scio.

Fortis tiro ducis metuo certamina deses,
    Tamen triumphos ambio;
Heu fugio vepres, adeo rubicunda roseta;
    Gaudere, non pati lubet.
Eheu te verbis redamo, dulcissime Jesu!
    O quando me dabo tibi?!
Annales percurro graves: alimenta negasse
    Tuos recensent aemulos
Saepe diuque sibi — successimus ecce nepotes,
    Molli palato parcimus.
In pejus ruimus... jentacula mane parantur,
    Meridiesque prandium
Instruit, et coenam superaddit vespera frugi:
    Crucemque ferre dicimur!!
Una dies avidis ter promit faucibus escas,
    Quae patribus tulit semel!
Prisca bonum faciebat opus venerabilis aetas:
    Inersque nostra praedicat.
Carne quidem vetiti non vescimur... optima carnem
    Vincunt sapore fercula!
Decipimur miseri, nostrique miserta sinistra
    Damnum resarcit dexterae.
Est obolus noster vix grata pecunia coelo:
    Auri tulêre copiam
Majores largam — redeat sapientia patrum!
    Meam saporis arbitram
Torqueat hanc linguam! toties altaria lustro,
    Coelum patere fortibus,
Voce lubens doceo... feriunt pia verba volentes,
    Exempla nolentes trahunt!

ODE XI.

MATRI.

Apud ipsum est sapientia et fortitudo. (Job. 12, 13).

Heu dudum lacrymis rigas
    Vultum, moesta parens! impigra filii
Luges desidiam tui,
    Pollens ingenio natus iners sedet:
Verbis sollicitas levem,
    Impellis precibus, muneribus trahis,
Ac poenam repetis gravem...
    Heu tundis lapides, Aethiopem lavas!
Mater, me miseret tui!
    Tradit semen humo rusticus, horrea
Expleri jam animo videt:
    Spicas grando ferit, strata jacet seges...
Ah quis pectora saucia
    Describat calamo? Si genitor forem,
Censerem lacrymas tuas.
    Quae, quae fata manent (conquereris pia)
Socordem puerum meum?
    Infelix gladio se perimit suo!
Ah cur sunt homines sibi
    Ipsi hostes! puero consului meo,
Sed solatia non feret
    Matri decrepitae! reddit amor vices...
Sed cor flebile filii
    Obdurat glacies! tristiae (rogo)

Mater, pone modum tuae...
Delectant Superos continuae preces;
O altaribus advola,
Quum sol exoritur, quum pelago subest,
Circum brachia da cruci,
In qua pendet Amor, qui petit accipit;
O pulsa digito fores,
Pulsa continuo, mox socius feret
Tres panes socio suo.
Luxit gnava diu Monica filium,
Quocum nunc fruitur diu
Coeli deliciis... Si gemitus tui
Aures non penetrent Dei,
Mater, pone metum... sidera temperat,
Et novit capitum comas!
Tu liba manui protinus oscula,
Quae te verberibus notat.
Omnes deficimus, poena manet gravis
Unumquemque, juvat Deo,
Dum vitam trahimus, debita solvere,
Ne post ultima fata nos
Horrendi tenebrae carceris obruant.
Sanctam lustra oculis crucem,
Clavi! spina! latus! num Deus hic tuus
Blandis incubuit rosis?
Mater, ne dubites, supplicium tui
Est multo gravius Dei.
Obtrudi rabidis esca leonibus
Antistes voluit Syrus...
Est luctus melior dentibus horridis!
Qui pascit volucres vagas,
Qui cingit nitidis lilia vestibus,
Hic semper memor est tui!
Cursu vita cito labitur, et brevi

Carae liminae patriae
Tanges dives opum, dulcis ibi quies,
Nullus laetitiae modus,
Quum terget lacrymas blanda manus Dei.

ODE XII.

VOCATIO.

Quos elegerit, appropinquabunt ei. (Num. 16, 5).

Fundamenta loca, corrueret domus,
Quam fert mollis humus; non oritur seges,
Ni semen jacias; fontibus editi
Labuntur fluvii vagi.

Quicumque ingreditur pastor ovilia,
Pandit clave fores: quis penetralium
Sanctorum pedibus limina candida
Invito superet Deo ?

En festina vorat terra triumviros
Altaris cupidos... rex litat hostiam,
Mulctatur solio... thus adolet sacrum,
Sordet praecipiti lepra.

Aronem voluit Pontificem Deus,
Bissenos comites praetulit omnibus,
Antistes Lyciis, Insubriae quoque,
Romanisque jugis datus.

At raro statuit prodigio ducem,
Non semper digito, quem probat, innuit,
Idem saepe tacet, sed (memini) tamen
Sunt facunda silentia.

Crudeles gregibus non adhibet lupos,
Num sanet medicus vulnera languidus?
Quî vinctus gravibus compedibus ferat
Captivis sociis opem?

Omnis turba procul desipientium!
Non pellit tenebras, qui radiis caret,
Fertur per salebras, in barathrum ruit
Cassus lumine cum suis.

Sit custos adyti viribus integer!
Urget sollicitum continuus labor,
Hostilemne domet miles acinacem,
Quem morbi cruciat dolor?

Cor scrutare tuum, funde preces Deo,
Ori tolle cibos, aere inopes juva,
Prudentes animo consule... te rogo,
Aram ne temere petas!

ODE XIII.

DIE ORDINATIONIS REDUCE.

Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. (2 Tim. 1, 6).

En redit alma dies, qua non mihi dulcior ulla,
Omne dies recolenda per aevum,
O salve pretiosa dies, qua nacta ministrum
Me juvenem venerabilis ara



A turba semper voluit procul esse profana!
    Oceani numerentur arenae,
Et nemorum frondes et vasti sidera coeli:
    Quae rapiunt mea pectora, flammas,
Carmine non canto... genialis, amica, suavis,
    Sancta dies, regina sororum!
Quanta mihi Jesum documenta dedisse recordor
    Solliciti, vehementis amoris!
Indigno foribus templi penetralia novi
    Ima mihi patuisse vocato.
Infirmis humeris ingentia pondera gesto
    Eximio decoratus honore.
Me populo gnavum Fidei decet esse magistrum,
    Incorrupta oracula coeli
Instillare animis, et confirmare labantes,
    Impavidumque retundere tela
Objecto clypeo. Gravis est credentibus aetas,
    Quam tumido sapientia fastu
Imbuit insipiens... hinc sollicitudine ferri
    Immensa memorabo ministrum
A primis hominum cunis ad sera sepulcra!
    Ecce diu noctuque labores!
Nascitur antiqui soboles immunda parentis,
    Et niveam facit esse renatam
Unda novi; superata cadit plaudente dracone,
    Ad pugnam instaurata resurgit;
Dum vires geminant coelestia fercula, tristem
    Laeta manet victoria pugnam;
Jungit amor sponsos, thalamis benedicimus, unctos
    In patriam comitamur ituros.
Pervigiles Aurora vocat, pretiumque salutis
    Offerimus gaudente corona
Effusi populi. Rogitantes tollere palmas,
    Et versare perennia mente,

Et fauces agitare fame, miserosque levare,
Et taedas odisse jugales
Virgineo semper redimiti flore jubemur. —
Dum mereo stipendia miles,
Bis quater intumuit riguis vindemia labris... .
Si vellem censere labores?
Induo nunc hilares, nunc moestos contraho vultus,
Esse bonis mala mixta recordor...
Demerui solus, merui te, Christe, favente...
Auctorem te laudo bonorum,
Idem parce reo. Fugiam peccata, calebo,
Si vires, acuantur, amore.
Me tenet haec rapidi jucunda palaestra Juvavi,
Thesauro meliore potiri
Non possem, formabo lubens juvenilia corda,
Docturos docuisse juvabit!
Est labor hic dulcis, sunt emolumenta futura.
Da vires, bone Pastor, eundi:
Me populi fac esse ducem, sit in aede morari
Dulce decus, secura voluptas,
Sedulus in campos tua, Jesu, semina mittam,
Et segetes... testudo, quiesce.

ODE XIV.

CRUX.

Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. (Rom. 5, 18).

Millies salve, genialis arbor,
Arbor ingenti pretio parata;
Fructuum dives specie sorores
Anteis omnes.



Arborem primi recolo parentis,
Flebilis damno fuit arbor illa,
Illa supremae reseravit eheu
Ostia mortis.

Non foret caeso genus hoc parente,
Ni crucis virtus peperisset illud,
Vivit unius vitiata patris
Labe propago,

Vivit, ut possit Deus esse frater
Noster, humana genitrice natus,
Integer culpae meriturus olim,
Virgine natus.

Culpa deletur merito: parentes
Sunt duo nobis... prior ille sontes
Filios edit, facit innocentes
Hic Deus Agnus.

Arboris fructu cadimus, vicissim
Arboris fructu relevamur... ille
Traxit ad morbum, trahit ad salutem
Iste volentes.

Arbor in celso spatiosa colle
Prominet late: populique praeter
Ambulant omnes... maledicit ille,
Hic benedicit!

Vescitur, quisquis benedicit, eheu
Abstinet, quisquis maledicit; anni
Interim currunt, eadem per aevum
Vota manebunt!

ODE XV.

AVICULA.

Respicite volatilia coeli. (Matth. 6, 26).

Nidus hic condit tria parvus ova,
Nidus in tuta cavea paratus:
Vimen est nexum, glomerata promit
Lana calorem.

Incubat mater rationis expers,
Et fovet plumis generosa foetus,
Nec locum carum, nisi quaerat escam,
Fessa relinquit.

Ecce bis septem vigil haec diebus
Arcet a nido nocumenta custos,
Immanens ovis, nisi trux jacentem
Dextera pellat.

En marem supplex vocat illa poscens
Grana: mas laetus facit imperata,
Egerit rostro, tribuitque largus
Pabula rostro.

Corticem rumpit: teneris in ovis
Haesit albumen, fuit et vitellus,
Tempus haec mutat, nova nunc movetur
Ales in auris.

Ales en nullis adoperta plumis
Strata frigescit trepidatque: mater
Admovet vestem, sobolique trita
Ova ministrat.

Mas item gnavus sociat laborem,
Panditur pulli radians ocellus,
Exeunt plumae, volucrisque flavet
Penna colore.

Non luto nidus temeratur ullo,
Prodit en cautus, teretesque ramos
Pullus exquirit, tenuata languet
Viribus ala.

Si fames ardet, sequitur parentem,
Flebilis vox est, agitatque corpus,
Promta, quae semper renovantur, ova
Guttura complent.

Labitur mensis, capit ales ovum
Ipsa, jam molles tribuuntur herbae,
Grana depascit, vitreaque rostrum
Tingitur unda,

Tingitur corpus, volucris frequenti
Balneo gaudet, madefacta lymphas
Excutit solers, et amica coelo
Carmina cantat.

Ferrea semper cavea tenetur,
At caput motans saliensque semper
Exuit curas, inimica brumae
Frigora nescit.

Alitis linguam memorabo doctam:
Dispares edit sine mente voces,
Dum stupet, gaudet, timet atque poscit,
Moeret egetque.

Ales assuescit domino, propinqua
Saepe scribenti, manuique tuta
Eripit granum, sequiturque euntem
Praepete cursu.

Alitem fecit Deus! Hac magistra
Utar indoctus, didicêre multi,
Te Deum laudo, tibi ludo felix
Carmen amoris.

ODE XVI.

PECCATORES.

Dimitte nobis debita nostra. (Matth. 6, 12).

Labuntur anni, mi Deus! attamen
Quis pendit annos irrevocabiles?
Ah saepe multos imminentis
Immemores juvat esse mortis.

Nos esse cives credimus, hospites
Terrae negamus: praemia spernimus
Mansura coelorum, caduca
Quaerimus emolumenta stulti.

Quocumque demum lumina torqueo,
Rerum sinistra turbor imagine,
Peccamus audaces, nec eheu
Criminibus sociare crimen

Damnum putamus, laudibus heu malos
Ornare, diris opprobriis bonos
Torquere malunt pervicaces,
Lux tenebras parat, umbra lucem!!

Morbo laborat gens hominum gravi,
Torrens aquarum latius in dies
It mole perrupta, nec ulla
Spe teneor melioris aevi.

Patris veneno filius intumet,
Fructus suaves marcida non tulit
Arbor, nec agnos innocentes
Armeniae peperêre tigres.

Imbres timerem, qui obruerent genus
Mortale statim, ni memor Iridis
Essem decorae; sed flagello
Terga rubent lacerata torto.

Demoliuntur celsa palatia
Flammae voraces, oppida corruunt
Tellure mota, miscet ingens
Turba fame stimulata clades.

Circumvagantur pestiferae lues,
Merguntur altis fluctibus uberes
Auro carinae, sanguinisque
Bella cient furibunda rivos.

Depone fulmen, da veniam, Pater!
Da (te rogamus), da veniam reis,
Delicta detestamur eheu
Supplicio graviore digni.

Omnes Adamo nascimur, undique
Coguntur hostes, volvitur in malum
Mens nostra praeceps, ac habenas
Imperii superata laxat.

Hinc parce nobis, et radium tuo
Demitte coelo, dulce jugum crucis,
Subdamur, et voto salutis
Continuo rapiamur omnes.

ODE XVII.

CERTAMEN SINGULARE.

Nolite obdurare corda vestra. (Ps. 94, 8).

Compesce bilem, Crispe, nefarium
Certamen arce, me miseret tui,
Loro furentes vinciuntur,
Indomito lupus ore saevis!

Quanti tumultus! Ecce tremunt pedes,
Accensa torques lumina, dentibus
Frendes, inhorrescunt capilli,
Praecipiti rubet igne vultus!

Averte saevi proelia pectoris,
Averte mitis, fluctibus impera,
Ventos coërce... bruta terrae
Ingenio superamus uno.

Mucrone fratrem transadiges tuum...
(O te Caini progeniem trucem!)
Mortique trades, cui Redemtor
Dona tulit pretiosa vitae!

Frater, memento: corpus opus Dei!
Quo jure vitam tollere corporis
Vesanus audes, qui vetaris
Igne domos abolere fratrum?

Lugeret uxor turgida lacrymis,
Lugeret amens funera conjugis,
Patrem vocaret moestus infans,
Nulla rigens alimenta ferret.

Culpâ gravatus concideret miser,
Ictus trisulco fulmine judicis
Arderet infelix in orci
Terrificis sine fine flammis.

At si doloso vulnere saucius
Tu, Crispe, leto praepete corruas,
Haerebis immotum cadaver,
Ad solium rapiêre Christi.

Quae te manebunt fata miserrimum?
Immane crimen balnea non lavant,
Vinctus catenis, nocte mersus
Continuo moriêre vivens.

Demens honori consulis! Hostibus
Jesus pepercit, carmine dignior,
Qui vincit iram, militante,
Qui subigit metuendus urbem!

ODE XVIII.

SATURNALIA.

Evanuerunt in cogitationibus suis. (Rom. 1, 21).

Saucia corda gemunt: redeunt Saturnia festa; —
    Festa lubet proscribere Christi,
Impia custodit priscae solemnia Romae
    Stulta novi sapientia vulgi.
Orta Redemtoris pretioso sanguine dudum
    Progenie malesana videtur
Nunc dare terga cruci... pedibus calcantur iniquis
    Et satyris agitantur acerbis
Antiquae legum tabulae, quas arbiter orbis,
    Quum fumus caligine montem
Obrueret, rupto rutilarent fulmina coelo,
    Vox tonitru reboaret in auris,
Effusae quondam populi tulit ipse coronae...
    Turba fores ingressa tabernae
Considet, ingluvies sibi multas vindicat escas,
    Dente cito macerantur, et alvi
Conduntur latebris, calor ingens inficit ora,
    Et dapibus sociata bibuntur
Fortia vina cadis emissa capacibus, ecce
    Lingua mero facunda potentes
Attollit voces, et vultus aheneus ardet;
    Opplentur clamoris aurae,
Scintillant oculi, jam quaeritur amphora vino,
    Fessa mero jam lingua laborat,

Languida membra labant, teterrima carmina voce
　　Horrendâ sine lege canuntur.
Lena Megaera furit fuco mentita colorem,
　　Ac turpes venatur amores;
Caupo fovet vitium, mens recti conscia non est,
　　Tolluntur sine fine cachinni,
Immemor ecce Dei geminato concalet igne
　　Turba. Pedes nunc ire jubentur...
Pondera jam dubii nequeunt immania ferre;
　　(Delectemur imagine)... potum
Pota virum sustentat anus, puer atque puella
　　(Turpe nefas maturius annis)
Rauca voce strepunt, partes flectuntur in omnes
　　Ut navis jactata procellis...
Subsistunt homines, spectacula tristia risum
　　Saepe cient et saepe dolorem.
Labitur hic praeceps, lapidique alliditur, eheu
　　Vulnus hiat, cruor irrigat artus;
Ille cadit lentus... quum toto pectore somnum
　　Proflat, adest vir callidus, aufert,
Quos reperit, nummos, et vestibus exuit illum...
　　An risum teneatis amici?
"Festa pedum celebrate viri, celebrate puellae!,,
　　Conclamant edicta per urbem
Divulgata typis, et sesquipedalia verba
　　Virgo legit, matrona, maritus.
Nulla quies, animos tenet anxia cura, torusque
　　Alma negat solatia fessis.
Flet nummo viduata penus, sed fraude magistra
　　Argentum renovatur in illa;
Pignoris instar habet pretiosa monilia cautus,
　　Qui nummos in foenore ponit.
Serica fila placent, redimitaque tempora sertis,
　　Torva rubens lascivia vultu,

Vox molli facunda sono nudataque colla...
  Uruntur dulcedine sensus;
Monstra maris Sirenes erant... Sirenibus orbis
  Non Siculis raptatur iniquus.
Larva tegit faciem, conjux oblita mariti
  Una choro sociata procorum
Pabula spargit ovans, volucres capiuntur edaces,
  O metuenda potentia Circes!
Larva tegit faciem, turpique libidine fervens
  Effrenem vir quaerit amicam,
Volvitur heu praeceps, violat connubia casta,
  Vis fulvi profunditur auri.
Conticuêre modi, tenebris Aurora fugatis
  Solem reddit, inepta labori
Membra toro lassata levant, sed virgo pudica,
  Cui pallor truculentus in ore,
Heu macilenta gemit, diri contagia morbi
  Lenta furunt, abreptaque leto
Conditur in tumulo. Superest soror altera matri,
  Flamma coquit violenta medullas,
Mobilis errat amor (torquentur corda parentum),
  Ex minimo fit maximus ignis.
Innumeri currus per compita lata vehuntur,
  Et vecti sinuantur in orbem,
Continuoque gyrus populo spectante movetur,
  Lentus equus, retinentur habenae.
Ecce viri et nuptae, viduae puerique, puellae
  Atque senes... sunt pectora laeva,
Et globuli tenues manibus jactantur amicis,
  Quos reddit glomerata caterva.
Ista quidem patiens puerilia gaudia ferrem,
  Sed tumida mens aestuat ira,
Dum larvata manus vino madefacta rubenti
  Pontificem sacrosque ministros,

Virgineos coetus taciturnaque claustra virorum,
    Thus, aras ritusque verendos
Proscindit petulans, naso suspendit adunco,
    Nec meritas expendere poenas
Justa lege fori Superis invisa jubetur.
    Nulla crucis reverentia, morbo
Tabescunt homines, medicus non quaeritur unus,
    Cujus dat medicina salutem.

ODE XIX.

EREMUS S. CONRADI PLACENTINI.

Ducam eam in solitudinem. (Os. 2, 14).

Conradum memini: solus in arduo
Montis nubiferi vertice conditur —
Felices latebrae, non cano barbito
    His dignum latebris melos.

Uxorem retinent claustra Placentiae,
Sylvae flamma vorax omnia protinus
Damnatum capitis vendere jussit! — Heu
    Mundi gloria transiit!

Non fundit lacrymas temporis immemor
Elapsi... celeres diffugiunt dies,
Anni praetereunt — nunc melioribus
    Thesauris inhiat miser.

Tranquilla fruitur laetitia, poli
Contemplatur ovans alta palatia,
Et felix adamat cara silentia,
    Nocturnasque Dei faces.

Seu lenis Zephyrus gramina mulceat,
Seu raucus Boreas torqueat arborem;
Seu soles niteant, seu ruat horridus
Imber — vir juga diligit!

Somnum carpit humi rege beatior,
Et fauces cruciat supplicio famis,
Nec vestes laceras horret: iter facit —
Tergum pondus amat leve!

Non fur insidians, non rabidus latro
Turbant delicias; tuta quies ibi!
Nullae cor agitant sollicitudines,
Unus cordis amor Deus,

Qui sordes hominum sanguine diluit,
Coelorumque fores pandidit omnibus!
"Est quaerenda salus (verba dat innocens),
"Mors est meta laboribus,

"Mors infesta malo, cara bono comes;
"Fortunatus homo, qui didicit mori,
"Gazas tempus edax eripiet brevi,
"At virtutis opes manent.

"Harum dives opum fulgura judicis
"Non formidat — ave, patria, me solo
"Fessum conde tuo, carpo viam diu,
"Taedet me exilii mei.,,

Nunc in monte Dei, donec erit Deus,
O Conrade, sedes! Huc age lumina
Torque, me miserum respice... barbitos
Carmen flebilis evocat.

Esto, turba, procul, me penetralia
Haec cordis rapiant, solus ibi Deum
Fac nunc inveniam, praecipitem moras,
    Tecum numine perfruar!

ODE XX.

AD BEATAM VIRGINEM.

(Nôtre Dame du Sacré Coeur).

Praebe fili mi cor tuum. (Prov. 23, 26).

Nunc ite nubes, caeruleo polo
Sol unus almo lumine fulgeat,
    Compescat iram ventus acer,
        Et placidae moveantur aurae.

Sternantur undae, littora murmure
Leni salutent, picta renideant
    Vexilla malis, nava ponti
        Ora premat taciturna pubes.

Laetare tellus, nec gelidae nives
Montana lassent pondere culmina,
    Fragretque late flos in hortis,
        Mille cito niteant colores.

Assuescat agnis Marmaricus leo,
Parcat columbae vultur, et evomat
    Anguis venenum, tollat igne
        Cordis homo glaciale frigus.

Cantemus hymnos, insonet omnium
Linguis Mariae summa potentia,
Virtute major nullus unquam,
Nullus erit nisi Deus unus.

Vastentur omnes grandine vineae
Totius orbis, turbinis impetu
Illaesus unus sit racemus:
Quantus honor tribuendus uni!

Omnes aristas sol cremet igneus
Totius orbis, culmus in area
Servetur unus: quis canoris
Hunc fidibus celebrabit unum?

En culpa primâ tracta ab origine
Infecit omnes, Una superfuit
Ignara culpae: quis Mariae
Digna ferat monumenta laudis?

Fuso Mariam sanguine Filii
Credo redemtam — crux voluit bona
Delere nostram, sed Mariae
Crux melior prohibere labem.

Et sancta radix protulit arborem,
Regina sylvae crevit amabilis,
Sanctique rami fronde laeti
Fructibus eminuêre sanctis.

Pellexit Evam tartareus draco,
Fert saeva nobis damna vaferrimus:
Insons Maria, et nulla puram
Culpa levis temeravit unquam.

Portenta dico: purior angelis
Est una coeli, Spiritus hanc domum
Sanctus decorat, cor Beatae
Obruitur sine fine gazis.

Infirma solem lumina non ferunt:
Candor Mariae tantus, ut omnium
Mentes hebescant, qui fideli
Dona velint trutinare lance.

Hac Matre Verbum Virgine nascitur!
(Sed mergor audax oceano puer)
Fit Virgo Mater (pes vacillat)
Virgo parit, manet ecce Virgo!

O Virgo felix! (quaere modos, lyra)
O Virgo felix, quam sibi Spiritus
Sanctus maritat! Quo renidet
Sponsa Dei redimita serto!

Aurata regum sint diademata
Oppressa gemmis, stulta superbiat
Regina sceptro: sed Mariae
Terra, polus, famulatur Orbis.

Regina mundi Virgo Deum parit,
Portenta dico: Virgo Deum parit!
Quam fecit olim, te parente,
Te voluit Deus ipse nasci!

Haec tanta Virgo prodiga munerum
Est advocata, et nemo potentior
Votis Mariâ: cor Jesu
Gestit ovans reserare mundo!

ODE XXI.

AD BEATAM VIRGINEM CORDIS JESU DOMINAM

[illegible]

Augusta Virgo, quae cor amabile,
Cor [illegible] Jesu clave aperis tua,
Adstamus altari, tuoque
En ferimus pia vota cordi.

Europa morbo conficitur gravi,
Dudum quae saevis icta doloribus
Tristatur eheu... quae Galeni
Restituet medicina vires?

Lento veneno trux odium crucis
Orco magistro pocula miscuit;
Torquetur infelix — cachinnos
Ingeminat metuendus hostis.

Nos moesta circum lumina volvimus —
Mors imminebit! Ne radius quidem
Fulget salutis, lucis ignem
Terrificae rapuêre nubes!

Tu ferre nobis auxilium potes,
Regina mundi, te lacrymae rogent...
O Virgo clemens! da salutem,
Et generis miserere nostri.

ODE XXII.

AD BONUM PASTOREM.

Ego sum Pastor Bonus. (Joa. 10, 14).

O Bone Pastor ave — delector imagine dudum,
    Quae sacra mihi promitur ara.
Muta sonos edit veri pia testis amoris:
    Aure bibunt oracula surdi,
Torpida corda movet, vehemens accenditur ignis,
    Et lacrymae labuntur obortae.
Est virtute minor facunda potentia verbi,
    Et calamos superavit Apelles!
O Bone Pastor ave, mea nunc te carmina dicunt,
    Et ferio tibi pectine chordas.
Pastorum numerantur oves, numerantur et orbis:
    Non homines censebimus unquam,
Quos jam prima parens sub luminis edidit auras,
    Et soboles oritura per annos,
Donec summa dies det finem temporis hujus,
    Huic uni, qui tempora fecit,
Uni nota Deo — magnum Pastoris ovile,
    Haec ingens opulentia Christi
Me rapit, obtutu stupeo defixus in uno;
    Sed fidibus majora canamus!
Pastor oves coëmit novitque educere foetus,
    Aut pecudes sibi vindicat haeres:
Fecit oves Pastor, qui condidit omnia verbo,
    Vivit ovis ratione potita.

Nobilitate potens claris natalibus orta —
    Nonne igitur fateamur oportet,
Pastorem dominum meliori jure vocandum?
    Corda gemunt oppressa dolore:
Palabantur oves in fraudem daemonis actae,
    In barathrum suadente dracone
Progenies humana ruit... miserabile visu!
    Mortales hinc induit artus
Pastor homo nobis similis, pretioque redemit
    Captivum genus omne — fit ecce
Jure novo dominus! Quis tanti pondus amoris
    Mente ferat? pro sontibus insons
Occisus moritur, placatur vindicis ira,
    Elisum caput ecce draconis!
Numina ficta cadunt, nova conditur ara, Sabaeo
    Thure calet, vexilla per auras
Effulgent pretiosa crucis, venerantur ubique
    Supremi monumenta triumphi
Effusi populi, tigres mutantur in agnos!
    Labes prima lavatur in unda,
Balsama sacra parant, pingui miscentur olivo,
    Miles ovat virtute liquoris,
Proelia dira furunt, dant eheu cuspide vulnus,
    Immani dant corpora leto,
Sanguis adest medicina mali, quae vulnera sanat,
    Occisi revocantur in auras,
Robore firmantur pangentes foedera sponsi,
    Ingenuos altaribus addit
Praesulis uncta manus populo gaudente ministros,
    Dum torrent discrimina mortis,
Membra linunt oleo, tribuuntur dona salutis!
    Nonne Bonus fert munera Pastor,
Dat vitreos latices, viridantia pascua late,
    Et pecudes medicatur egenas?

Barbite, tolle modos, plectro graviore canenda
    Magna novae portenta salutis!
Ingeniosus amor! Superas elatus in auras
    Pastor oves non linquit amicas,
Victima cara Deo sacra mactatus in ara
    Aeterno fert vota Parenti,
Pastor adest ovibus, pastor mansurus in aevum —
    Panis iter facientibus esca
Semper adest nobis, meliorem Foederis arcam
    Nostra ferunt altaria, nectit
Pastor ubique moras... efferveat ira luporum,
    Et rabie stimulentur edendi,
Circumeantque truces, feriant ululatibus aures:
    Tuta pecus, quae diligit Arcam!!

ODE XXIII.

TIMOR MORTIS.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae. (Jes. 38, 15).

Diffugiunt anni, canis aspergitur aetas,
    Meta viae mors imminet eheu!
Terreor infelix et moestos induo vultus:
    Non vitae pellectus amore
Torqueor infesta venientis imagine mortis —
    Me latebrae tenuêre beatae,
Auri nulla sitis, mihi semper curta supellex —
    Sed terret me judicis ira,
Me trutinae lances, me scripta volumina terrent!
    Heu video me triste cadaver:

Immotus rigeo macilento pallidus ore,
    Surdae aures et lumina clausa,
Labra silent, capitique crucem dant lumina circum,
    Turba venit, mihi spargitur unda,
Ejiciorque domo dominus tumuloque recondor,
    Et lacrymae funduntur inanes:
Viscera corrodunt vermes cineresque supersunt!
    Est primi tribuenda parentis
Haec merces operi — sed spiritus ante tribunal,
    Quum primum fit corporis expers,
Sistitur, ecce Deus, qui lapsi temporis acta
    Cuncta videt, penetralia cordis
Omnia scrutatur, quem mendax fallere lingua
    Nulla potest, heu vindice poena
Exercet sontes! Dum talia corde voluto,
    Nudus opum lacrymabilis Irus,
Et primâ vellem revocare ab origine vitam,
    Et vitae renovare labores!
Non fervebat opus, non ibat sudor in artus,
    Parva penus, nocumentaque multa!
Verum non repetunt undantia flumina montes,
    Non redit irrevocabile tempus!
Parce Pater misero, placatus fulmina pone —
    Tarda pedum vestigia damno,
Praecitabo moras, labor improbus omnia vincit,
    Meta vocat, praeiêre, sequamur!

ODE XXIV.

S. JOANNES BAPTISTA.

Erit... magnus coram Domino. (Luc. 1, 15).

Alma dies oritur, quae magno sacra Joanni
Corda rapit, subeuntque beati
Gesta viri, toto vates celebratur in orbe!
Nocturnos jam vidimus ignes —
Facundi testes Domino praeeunte magistro
In picea caligine dicunt
Effulsisse jubar, flammis caluisse Joannem.
Festa nitent altaria, gaudet
Turba sacerdotum, solemnia pectore vota
Promit, ovat coelestis Olympus.
Justus non moritur, labuntur saecula, justus
Vivit adhuc post fata superstes.
Laudet adulator mendaci carmine regem,
Qui famae pellectus amore
Bella ferox sine jure ciet, qui sanguine tinctus
Serta comis dat corpora leto —
Peccator minimus! Magnus virtute Joannes....
Haec animo sententia constat!
Ingreditur templi penetralia sancta sacerdos:
Thura calent, funduntur odores,
E coelo Genius fumanti allabitur arae,
Praeco refert oracula fidus,
Et partum sobolis venturaque fata recenset,
Lingua silet punità parentis.

Quantus honor pueri, quem tot portenta coronant!
    Matris adhuc in corpore vivit:
Primaque deletur contracta ab origine culpa;
    Matris adhuc in corpore vivit:
Infantem Jesum flammato corde salutat
    Prodigiis celeberrimus unus.
Editur in lucem, solvuntur muta parentis
    Labra, canit pia carmina vates.
Legibus aetatis major puer ecce repente
    Antra petit nemorumque vireta,
Raptus amore Dei jucundae assuescit eremo,
    Ipse viam sibi sternit ituro,
Sed latebras adamat... jam miles ad arma vocatur,
    En placidam Jordanis ad undam
Terribilis rugit leo, jam deserta fatigat
    Voce minax, Aurora rubescit,
Nuntiat aeterni radiantia lumina solis.
    Fama volat pennata per urbes,
Undique turba ruunt: ferrum mollitur in igne,
    Incudi superadditur, ecce
Forcipe versatur, vehementibus ictibus ecce
    Tunditur! O venerande Joannes!
Macte nova virtute faber, tibi nemo resistit:
    Est immensa potentia verbi!
Est amor omnipotens, quem non infirmat honorum,
    Non auri furiosa cupido!
Non fulgent vestes Tyrio bis murice tinctae;
    Cara tibi sunt texta cameli,
Cingula dant pelles; non fercula grata parantur,
    Non spumant tibi dulcia vina:
Guttur avet latices, mel avet viridesque locustas;
    Nulla fovet te pluma sopitum:
Carpis humi somnum — vires tribuuntur amanti,
    Majori virtute potitur,

Quem graviora premunt subjecto pondera tergo.
    Uberior mihi copia fandi:
Maximus hic vatum, qui prodidit indice Christum,
    (Non fallunt oracula Christi)
Maximus est hominum, totius gloria mundi,
    Continuum mansura per aevum.
Hic peccatores Jordanis flumine mergit,
    Esse gravi mundata dolore
Sordida corda docens — renovati foederis undam,
    Quae delet vestigia culpae,
Haeredesque parit coelo, portendit imago!
    Amne Dei nunc mergitur Agnus,
Quem numerosa gravant mundi peccata nocentis:
    Unda typo foecunda, docemur,
Sanguinis effusi mira virtute lavari
    Turpe nefas, quod polluit omnes.
Accumbunt mensae, dapibus vescuntur opimis,
    Et laeti jam vina coronant,
En pedibus plaudit revolutas arte choreas
    Heu turpis sine lege puella;
Praemia saltanti spondet se larga daturum
    Herodes, exaestuat ira
Heu mulier furibunda labro damnata Joannis,
    Et vatis truncatur acuto
Ense caput — moritur Justus, plectentur iniqui,
    Ora silent, sed muta loquuntur!

ODE XXV.

AD VENERABILEM JOANNEM BAPT. VIANNEY.

Certe videtis... quoniam non sit similis illi in omni populo.
(1 Reg. 10, 24).

Audaces fortuna juvat — cantabo Joannem!
Hanc aquilam, quae praepete penna
Fertur ad astra poli, quam nulla pericula terrent,
Quae radiantia lumina solis
Immotis oculis mundo plaudente tuetur,
Vilis ego celebrabo — Joannem!
Verba, modi, numeri desunt... quî carmina fundam?
Corda calent, retinere vetantur
Ingentes flammas! jam nullo pectine mota
Chorda sonat... celebrabo Joannem!
Hunc non terra tulit: summo delapsus olympo,
Voce potens, cui nemo resistit,
Ecce aures aperit surdas, adamantina scindit
Pectora; vox metuenda per orbem
Par tonitru reboat, concurrunt undique turbae,
Ter decies en mille per annum
Accurrunt homines, quos magna Britannia mittit,
Vasta sinu dat Gallia, promit
Ausoniae tellus, ingens Germania profert,
Ipsa remota Columbia jungit.
Arsia, quae pridem cunctis ignota latebat,
Nunc tanto magnete beata
Vi populos accit, toto memoratur in orbe!
Labra viri dixêre verendi:

"Des, ubi consistam, coelum terramque movebo!,,
Haec magni portenta laboris,
Magna reservantur parvo portenta Joanni!
Bella gerant crudelia reges,
Fulminis instar eant, gentes subigantur et urbes...
Est melior victoria pacis!
Laurea serta ducum sparsi monumenta cruoris:
Serta quibus sunt pinguis olivae,
Emolumenta ferunt! Aeternae verba salutis
Dat miro sermone Joannes...
Ingenio tardi, quibus est sapientia — cuncti
Aure bibunt, juvenesque senesque;
Lympha sitim renovat, renovantur verba: Joannes,
Qui linguae dulcedine pollet,
Fert sua cuique, penus non exhauritur, et omnes
En dapibus recreantur opimis.
Ut primum solers exercuit arva colonus,
Larga manus dat semina sulco:
Sordida corda lavat verbo macerata potenti,
Et flammas succendit amoris,
Qui sibi non vivit, sed quaerit lucra salutis,
Vir nostri celeberrimus aevi.
Horas huic operi tribuit ter quinque diei!
Fervet opus redeuntibus annis.
Ecce quater denis! Macilento pallidus ore
(Quis credat, ni facta loquantur?)
Tam grave portat onus! Sed fractae vespere vires
Prima luce redire jubentur!
En Deus incolumem voluit servare Joannem!
Si mutus det verba repente,
Surdae si pateant aures, si lumina clausa,
Si cedat vis effera morbi:
Fama volat pernix, manifesta potentia coeli:
Prodigio potiore Joannes

Durior est saxo, differt grandaeva senectus
Mortis inexorabile tempus!
Durior est saxo... saevis cruciatibus instat!
Continuo jejunia fauces
Exagitant avidas, et verbera terga cruentant,
Tres horae dant artubus eheu
Difficilem somnum, quem turbat inhospita tussis,
Quem torquet dominator Averni,
Trux sine fine furens, artes cui mille nocendi...
Quis calamo certamina noctis
Facundo referat? precibus contunditur hostis!
Certa precum victoria semper!
Ut niteant soles pluviâque rigentur aristae,
Ecce rogat pius ore colonus:
Ecce diu noctuque rogat Superosque fatigat
Voce bonus sapiensque Joannes...
Ecce preces segetesque cient segetesque tuentur!
Conticeo — portenta Joannis
Continuae genuêre *preces*, genuêre *labores*,
Continui genuêre *dolores!*

ODE I.

PONDUS.

Onus meum leve. (Matth. 11, 30).

Flectitur cervix, grave pondus eheu,
Anna, fers dudum, lacrymasque fundis,
Dum nitent soles redeuntque noctes,
Lassa gravaris.

Dulce lenimen morientis Agni
Ferrei clavi rigidaeque spinae!
Quis vacat culpa? redimire frontem
Flore vetamur.

Moeror, aerumnae documenta amoris!
Corda, quae lugent, vehementiore
Aestuant flamma, generosus optat
Proelia miles!

Vertitur laudi sociare fletus
Fletibus Christi! Subeant feroces
Martyrum pugnae: bene gesta totus
Concinit orbis!

Molle pulvinar, laqueata tecta
Sericas vestes, pretiosa vina
Ambiant stulti: potiora nobis
Dona salutis.

Semper in nostra latet Agnus ara,
Advola pernix, pia vota prome,
Perfer aerumnas, leviore terga
Mole prementur.

ODE II.

S. EUPHEMIA ET S. THECLA

Martyres Tergestinae.

Qui... voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. (Matth. 16, 25).

Canto sorores, quas genuit solum
Hoc dulce nostrum: tu fidibus, lyra,
Euphemiae Theclaeque sacras
Alma comes modulare laudes!

Clarent avito sanguine virgines:
At dona laetis fert Epiphania
Majora mater — sorte natas
Gnava dedit meliore Christo.

Largâ serenat luce domum Fides,
Et spargit ignes fervida Caritas! —
Sed miles exercendus armis!
Hostis adest metuendus ira!

Poscunt coronae proelia, ferreos
Vincunt tyrannos strata cadavera!
Accensa fornax purgat aurum!
Torpet iners sine laude virtus!

Cultor Deorum dives opum procus
Euphemiam deposcit amabilem,
Et vota Alexander suavi
Ingeminat violentus ore.

Sponsum repellit, quae potioribus
Ditata flammis munera despicit
Lapsura, divinumque Sponsum
Virgo potens sibi poscit unum.

Stridet repulsus dentibus, aestuant
In corde fluctus, praecipitat furor
Mentem protervam... virgo ridet
Indomitam minitantis iram.

Nullus coërcet fluminis impetum
Agger: tribunal vir petit efferus...
Euphemiam servire Christo
Ecce refert sociamque Theclam!

Adsunt sorores... pruna rubens caput
Injecta torret, tergora fustibus
Torquentur, immitisque membra
Distrahit excruciatque miles.

Discerpit eheu pectora virginum
Ignita forceps... subdita mens Deo
Immota rupes! Flexa cervix
Terrifico resecanda ferro!!

Non ora mater fletibus irrigat,
Sed vota promit: quas peperi, Deus,
Defende custos, da triumphum,
Serta para viridemque palmam!

Jam lictor atrum vibrat acinacem,
Suprema libant oscula martyres
Laetae parenti, estote fortes!!
Ista monet, moriuntur illae.

ODE III.

PATIENTIA.

In tribulatione patientes. (Rom. 12, 12).

Flemus heu cuncti, grave pondus omnes,
Quinte, gestamus, mala sunt avitae
Surculi culpae, medicamen aegris,
Poena malignis.

Tu jugo semper pia colla subde,
Nonne fit pondus levius ferendo?
Crescit irati, mihi crede, Quinte,
Sarcina crescit.

Multa rex coeli tulit ecce dona,
Multa non raro tibi tollit idem...
Si rosam carpis, comes ecce spina
Jungitur illi.

Omnium rerum Deus est origo:
Redde, si poscit repetitque dona;
Quid tuum, fili? sapientiorem
Crede parentem.

Redde, sed noli sociare questus;
Lacrymae prosunt, relevantur aegri:
Corda morosi viduata lucro,
Quinte, memento.

Labra compressis taciturna verbis
Thura subjectis superata flammis:
Uber assurgit vapor atque coelum
Mulcet odore.

Testis occulti Deus est doloris,
Lacrymas idem numerat, fideli
Pendit aerumnas trutina libroque
Condit amico.

Offer et perfer! Praeit ecce Christus
Agnus occisus! Citius sagittâ
Labitur tempus, patria beatus
Sede quiesces!

ODE IV.

AURES DEI SURDAE.

Petitis et non accipitis. (Jac. 4, 3).

Corda si bruma rigeant inerti,
Nulla te veris teneat cupido,
Crispe! non possunt superare nubes
Vota rogantis.

Integrum culpae scelerisque purum
Obruit Patris manus alma donis;
Ut preces prosint, generosa quaere
Pharmaca morbo.

Dum tibi pingues mare [illegible]
[illegible]
[illegible]
Pervigil [illegible]:

Dum genu flectis sociasque palmas
Tendis in coelum pia vota supplex
Promis incassum, nisi mens sit illis
Foedere vincta.

Nec patent aures Genitoris unquam,
Si tibi poscas nocitura dona —
Crispe, tu stultus, sapientiorque
Arbiter Orbis!

Non emunt raris opulenta nummis
Rura, non currus tibi venit asse:
Qui preces paucae valeant parare
Munera larga?

Junge paullatim studiosus asses,
Dives argento potiére multo,
Congeres gazam, dabiturque ementi
Copia rerum:

Transeant anni, nova semper audax
Ligna da flammis, Superis placebit
Ignis elatus, ruet ecce toto
Aethere nimbus!

Ne petas unquam, dare quod recusat
Conditor rerum moderator Orbis,
Dona ne poscas, nisi sit ferendi
Dona voluntas.

Saepe te (novi) latet haec voluntas...
Crispe, dic semper: Prout ipse tu vis,
Sic volo Crispus — tibi sit magister
Christus in horto!

Stant comae, totos gelidus per artus
It cruor — vatem memini Joannem:
Nulla non raro pia vota cordis
Commoda praebent.

Saepe (sed largus rigat imber ora)
Est homo daemon truculentus! Eheu
Nullus orando valet impetrare
Pectoris ignes!

ODE V.

AD MILVIUM.

Laqueo se suspendit. (Matth. 27, 5).

Horrendum facinus! Se temerarius
Suspendit laqueo Milvius! O virum
Indignum lacrymis! Pendet iners diu,
Vultus decolor intumet!

Fulsit luna polo, muta silentia...
Pertaesus rigidi carceris heu suâ
Formosus juvenis numinis immemor
Occisus periit manu!

Corradit rabies lucra pecuniae!
Auri sacra fames furta ciet dolis!
Poenas furta luunt! poena parat necem!
Heu nexum sceleri scelus!

Milvi dives opum... quid tibi marmore
Picto strata domus, quid laquearia
Regalesve dapes vinaque Massica,
Quid prosunt celeres equi?

Haeredes avidi, quae tulit impiger
Sano corde pater, diripient bona,
Miscebitque jocos turba nefaria...
Milvi, me miseret tui.

Thesaurus potior te latuit crucis,
Frenum nosse crucis quanta scientia!
Torrentem vitii perdomat aggere,
Dat solatia tristibus!

Tempus praeteriit, non revocabitur,
Atrocique gravem crimine judicis
Ultrix ira premit, perpetuas luet
Poenas flagitii sui!

Ni delicta novi sanguine Foederis,
Donec vixit homo, terserit, omnia
Non tergenda manent... sudor it algidus!
Pallent ora metu, tremo!

An delicta dolor sustulit ultimus,
Delictumque dolor sustulit ultimum?
Heu curis dubiis excrucior... sapit,
Quisquis semper amat Deum!

ODE VI.

HUMILITAS.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.
(Job. 14, 1).

Nestor, in lucem sine veste nudi
Edimur cuncti, domus ampla cunae,
Lingua vagitus, niveumque praebet
Mamma liquorem.

Corpus infirmum, ferimurque matris
Brachio nixi, ratio profundo
Mergitur somno, — tumeantne vano
Pectora fastu?

Dat cibos ori soror alma, fratrem
Vestit exutum, comes est ituro
Et pedes firmat, docet erudita
Verba silentem.

Vita quid semper nisi lenta mors est?
Navis est ictu terebrata, rauci
Irruunt fluctus, inimica pellunt
Aequora nautae.

Frigidam vincunt alimenta mortem,
Vestis exturbat placidusque somnus,
Nuntium mortis medicina morbum
Docta coërcet.

Et senes aevo macieque tardi
Sustinent artus baculo trementes,
Sive dementes onerosa lecto
Membra reponunt.

Imminet letum, tumulique cunis
Proximi, foedo riget esca vermi
Tabidum corpus — tumeantne vano
Pectora fastu?

ODE VII.

HUMILITAS.

Homo... repletur multis miseriis. (Job. 14, 1).

Edit infantem pia mater alvo:
Mens iners torpet, rationis usum
Lege divina teneri coërcent
Corporis artus.

Nec Deum novit, nec adesse cunis
Providum patrem, trahit ecce vitam
Segnis, immenso quid in orbe prostet,
Heu latet illum.

Et dies multi veniunt euntque,
Et sopor mentem premit, alma *corpus*
Educat mater — tumeantne vano
Pectora fastu?

Verba paullatim faciunt parentes,
Excitat ludo soror atque risu
Frater infantem... tenebraeque lenta
Luce fugantur.

Arva foecundat geniale semen,
Semen exsurgit, calidique soles,
Aër effusus pluviaeque molles
Culmina promunt:

Verba conduntur rationis agro,
Veritas crescit patefitque labris,
Semper augetur speciosa summi
Filia coeli.

Attamen paucae gracilesque campum
Vestiunt spicae, vacuumque saepe
Horreum luget, nocuit nefastus
Imber aristis.

Multa nescimus, sapientiores
Sunt rudes eheu, sibi nil reservat
Mente delirus — tumeantne vano
Pectora fastu?

ODE VIII.

HUMILITAS.

Homo repletur multis miseriis. (Job. 14, 1).

Tingimur lympha, nivea nitemus
Veste felices, sociamur almo
Coetui fratrum, subeunda summi
Tecta Parentis.

Cordium valvas digito potenti
Pulsat et clamat sine fine Jesus,
Lassus exspectat: sed iniqua lente
Porta movetur.

Audiunt vocem rogitantis illi...
At fores clausae; metuendus eheu
Hostis accedit: patet alta verso
Cardine porta.

Dona fert Jesus, minimique fiunt:
Aureus crater placet, heu veneno
Spumat infando... soboles Adami
Mente laborat.

Nullus hanc vitam sine labe carpit,
Vincimur cuncti, dabit hora finem
Ima peccato — tumeantne vano
Pectora fastu?

ODE IX.

PURGATORIUM.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. (Hebr. 10, 31).

Crispe, dant poenas animae solutae
Vinculo carnis, trutinâ libratae
Judicis carum patriae vetantur
Limen adire.

Occidunt multi leviore saepe
Labe polluti, graviore passim
Labe detersa superest luenda
Poena dolore!

Sauciae curae... patimur, sed eheu
Pondus inviti ferimus — querelâ
Novimus tolli minuive saltem
Lucra doloris!

Rarus extemplo patria potitur
Victor aeterna! Via recta curae!
Stultus ambages adamet! Labori
Sit cita merces!

Crispe, dant poenas animae solutae
Vinculo carnis — cruciantur ignis
Torrida flamma... metuenda, Crispe,
Funeris hora!!

Torqueat ventrem rabies edendi,
Et sitis vexet furibunda fauces,
Strata durescant, fugiat quietus
Lumina somnus,

Squaleant sedes careasque veste,
Pallido morbo tenuentur artus,
Luce priveris lateasque vinctus
Compede ferri,

Terga lictores lacerent feroces,
Te voret fluctus barathrive gurges,
Atra cervicem feriat securis,
In cruce pende,

Membra discerpant Libyae leones,
Vivus effossa tumulêre terra,
Saxa collidant cerebrum — sed ignis
(Crispe, memento)

Mortuos urit potiore poena!
Ardet horrendus! vehementiorem
Disce virtutem: cruciatur ignis
Praeda per annos.

Incubat gazis opulentus haeres:
Nulla torrentes rigat unda flammas,
Luce non fulget tumulus, nec illum
Serta coronant.

Transeunt anni... moneamur aevo,
Cujus a leto repetenda origo!
Transeunt anni... tibi, Crispe, lucra
Quaere salutis!

Lucra virtutes... aberuntque poenae,
Si procul noxae, veterique poenam
Debitam culpae sapiens acerba
Tolle ferendo!

Supplici parcat veniamque poenae
Sponsa det Christi! Morière felix:
Ecce confestim tibi summa coeli
Valva patebit!!

ODE X.

NATIVITAS DOMINI.

Et nunc reges intelligite. (Ps. 2, 10).

Quem sacri dudum cecinêre vates,
Haec sinu condit specus alma, Virgo
Edit infantem, Deus ecce Patris
Filius infans!

Nox silet circum, meliore luce
Astra subrident, placidae quieti
Membra dant omnes: specus haec salutis
Dives origo!

Incubat foeno puer involutus
Vilibus pannis: stupet ecce mater
Lata portentum, laterique Sponsus
Assidet unus.

Prodit arcanum polus, et fideles
Antra pastores adeunt, Magique
Dona laturi taciturna Regis
Limina quaerunt.

Saevit Herodes truculentus ense,
Ensis infantum rubet heu cruore:
Servat Aegyptus puerum, tyranni
Luditur ira.

Et puer lapsis adolescit annis,
Et viam coeli docet, ac coërcet
Ore languores: bibit aure vulgus
Verba caletque.

Odit Hebraeus medicum, Pilatus
In crucem tollit: nocumenta mortis
Vincit occisus, pedibusque regem
Calcat Averni.

Verba dat Sponsae laticesque vitae,
Sceptra dat regni — fera turba nigrum
Evomit virus, sociant furorem
Tartara coecum.

Et ferunt rarae pia dona Sponsae
Caesarum palmae, sibi quisque Sponsam
Subdit imbellem, trahit aegra corpus
Legibus icta.

Arguet reges Moderator Orbis,
Regna marcescent terebrata verme,
Et gement reges, oleumque petrae
Nutriet ignes.

ODE XI.

FERIA QUARTA CINERUM.

Novissima autem inimica destruetur mors. (1 Cor. 15, 26).

Ni manu demens mulier tulisset
Arboris fructum, metuenda nunquam
Falce victuris fera mors obesset
Corpore caeso.

Livor heu mortem genuit draconis,
Fastus elatae genuit parentis,
Sunt breves anni, moriuntur atra
Lege nepotes.

Nulla profligat medicina mortem,
Viribus sternit potior gigantes,
Occidunt Croesi, ruit omnis aetas,
Vir mulierque.

Meta mors vitae, trahit ad tribunal
Judicis sontes, praeeunte morbo
Permeat valvas, inopina saepe
Tollit euntes.

Vita quid nobis nisi lenta mors est? —
Flebiles arce, lyra moesta, voces,
Finis aerumnae, melioris aevi
Janua mors est!

Sanguis en Christi pretium salutis!
Arborem mortis nova vicit arbos!
Buccinae clangor renovata reddet
Corpora vitae!

ODE XII.

FERIA QUARTA CINERUM.

Aspergite vos cinere. (Jer. 25, 35).

Vulgus insanum ruit, heu lupato
Non coërcetur, vitiique molem
Auget immensam, barathro voraci
Mergitur exlex.

Sat datum Baccho Venerique, rident
Daemonum turbae, puerique lugent,
Ingemunt nuptae, metuenda passim
Damna salutis.

Eja, qui sordes, cinerum memento,
Quos manu spargit capiti sacerdos,
Eja, peccator, lacrymis nefanda
Crimina terge.

En fores pulsat bonus ille Pastor,
Advola pernix, pateantque valvae,
Dona fert hospes, medicusque praebet
Pharmaca vitae.

Est amor dulcis, facit en beatum
Otium cordi, grave pondus eheu
Triste peccatum, meliora quaere
Lucra viator.

Lautior mensae cibus est amanti,
Gratior somnus, leviorque egestas,
Mitior morbus, gelidaeque mortis
Hora suavis.

ODE XIII.

EX DEO SUM!

Omnia per ipsum facta sunt. (Joa. c. 1).

Non ego semper eram, nunc sexagesimus annus
Labitur aetatis, non ego semper eram;
Non ego, me vitam nondum duxisse, negabo,
Ante annos centum, barbite, nullus eram.
Terra fuit coelumque fuit, multique fuêre
Mortales homines pennigerique chori,
Et fuit ecce Deus! *Me* nullus vidit in orbe,
Conscia mens hominum, barbite, nulla mei.
Me potior volucris, me vermis, me lapis ipse,
Scilicet haec aderant, non ego semper eram.
Nunc ego — sum — vivo, sunt multi corporis artus,
Mens, quae vera videt, cor, quod amare potest!
Quae sit—membrorum—mentis—quae cordis origo,
Sciscitor: haec censent orta fuisse rudes
Fortuito... casu fieri, quod fit sine causa
Efficiente, putant! Haec rationis inops,
Haec stultus commenta probet... nil fit sine causa!
Aestas fert segetes, aspera bruma nives,
Terra madescit aquis, navisque vapore movetur,
Sole oriente dies, sole cadente redit
Nox, lanam pecudes, dant vermes serica fila,
Urit flamma domos, et superatur aqua,

Si pinnis careant, non findunt aequora pisces,
    Abscissis alis nulla volabit avis.
Si causam demas, rerum cohibetur origo —
    Quî possit nasci, ni generetur, homo?
An vitae auctores sunt nostrae forte parentes?
    Rusticus arva colit, semina tradit humo,
Hoc tantum molitur opus — non cresceret autem
    Spica, nisi nubes praecipitaret aquas,
Ni lux, aestus eam, ni circumfunderet aër,
    Ni vim crescendi semen haberet iners:
Dat virtus animam supremi numinis una
    Eductam nihilo, numinis una manus
Artus compingit — mea sunt natalia clara,
    Ortus enim magno sum genitore Deo.
Edidit unus amor me luminis hujus in auras,
    Me non indiguit gloria summa Dei!
Sufficit ille sibi semper sine fine beatus,
    At me felicem jussit adesse sibi!
Nondum sparsa polo rutilantia sidera, nondum
    Litora pulsabat mobilis unda maris,
Nondum tollebant praerupta cacumina montes,
    Transibant fluvii pinguia culta citi —
Me tamen ecce Deus, me tunc pietate paterna
    Corde volutabat continuitque sinu!
Nobilior cunctis, quae terra amplectitur ulnis,
    Eminet unus homo, regia sceptra tenet,
Angelus est unus virtute potentior illo:
    Fortunatus homo, sorte beatus homo!

ODE XIV.

DEI SUMUS.

Domini sumus. (Rom. 14, 8).

Cujus ego? Domini... formavit corporis artus,
Spiritus ex nihilo tractus amore Dei.
Cujus ego? Domini! Nonne est *emtoris* imago
Effigiesque? cibus, vestis, amica domus?
Haeredis villae, spatiosa palatia, gemmae,
Currus, equi plures, horrea, vina, libri.
Dona ferunt homines, homines donata capessunt —
Sunt domini! Retia plena tument,
Vinea dat botros, onerantur messibus arva,
Exercent artes, pondera terga premunt,
Desudant omnes... pariuntur lucra *labore.*
Fert examen apum dulcia mella tibi,
Ubere lac niveum, vitulos dat vacca tenellos,
Vellera praebet ovis, serica fila parant
Solliciti vermes... *tua* dant *animantia* munus —
Es dominus! Jussit me bonus *esse* Deus,
Idcirco Domino subdor... sententia mentis
Haec immota manet, quam neget unus hebes
Lingua delirans! Hominis Deus unus origo...
Pareat auctori semper oportet opus!
Est et *semper erit* Dominus, qui condidit orbem,
Meque hominem fecit, semper amare Deum
Servus ego jubeor! Rapiunt bona cuncta latrones,
Aufert nocturni furis avara manus,

Ignis flamma vorat, mergit metuenda procella,
Ingenti motu percita terra tegit —
Et non es dominus! Reges posuêre coronam...
(Taedia moverunt regna caduca, senes
Aut animo fracti conquisivêre quietem,
Aut aevi rapuit spes melioris eos)
Coelum, terra manet, manet omni temporis aevo,
Virtus summa Dei non peritura viget,
Continuo sapiens, idem sine fine beatus
Sceptra tenet semper. Praebuit arma furor,
Indomitae turbae reges pepulêre, veneni
Pocula non paucis atra dedêre labris:
Nulla Deum potuit solio detrudere virtus,
Bella Deo moveat vis inimica — ruet!
Intumeat fastu, coelo caput ardua tollat —
Nulla manus tanget sidera sparsa polo!
Numen inaccessum! Metuenda suprema potestas!
Servus hero, matri filia cara subest,
Ecce duci miles paret, pia nupta marito,
Et populos omni rex ditione tenet,
Sedes Roma Petri magnum moderatur ovile:
Cunctis, qui praesunt, major in orbe Deus,
Non habet ille parem, nullusque potentior illo!
Quippe potestatis summus origo Deus,
Juris origo Deus, tribuit sua cuique negatve
Jura! Deo tanto mens mea corque meum
Corpus item subsunt ac omnes corporis artus,
Os, aures, oculi, brachia, colla, pedes.
Sum Domini puer et fervens juvenilibus annis,
Robore vix praestans invalidusque senex;
Dum sol igne calens radiorum spicula vibrat,
Dum redit alma quies, nox tenet atra polum;
Donec vita manet, medio in discrimine mortis,
Donec in orbe faces astra decora dabunt.

Imperat ergo Deus, mihi jussa capessere fas est,
Seu redeant flores, sive recurrat hyems:
Nunc vires validae, nunc sani corporis artus,
Nunc saevus cruciat languida membra dolor;
Dives opum gaudet positis in foenore nummis,
Quaerit opem lacrymis supplice voce miser;
Te laudant omnes, citharâ tibi carmina ludunt,
Mox rident nomen dedecorantque tuum;
Ingenio polles facundo maximus ore,
Mente vacas, fandi copia nulla tibi;
Occumbis leto senio defessus inerti,
Audacem socium prima juventa rapit —
Accipe, quae dantur — repetitaque munera redde!
Nonne Deus Dominus? Tu famulare Deo!

ODE XV.

MORS.

Reliquimus omnia. (Matth. 19, 27).

Tulli, disce mori, praeclara scientia mortis,
Fata manent omnes, imminet atra dies.
Omnia (crede mihi), quae sunt carissima, linques,
Plurima, quae turbent, fata suprema dabunt.
Non ars ulla coqui tibi fercula grata palato,
Nulla tibi praebet vina Falerna cadus,
Nulli convivae trudunt sermonibus horas,
Diffugiunt omnes, nec meminêre tui!
Quid prosunt vestes, quas vana superbia finxit,
Innumerae vestes, quas tibi tradit ovis

Vellere clara suo, quas serica fila vomentes
    Ore parant vermes? Est viduata domus —
Plurima quid prosunt conclavia splendida luxu?
    Heu procul est dives nec rediturus herus!
Quid prodest multis congesta pecunia curis?
    Haeres argenti dilapidator erit.
Stemmata quid prosunt, majorum nobilis ordo?
    Omnes continuo pulvis et umbra sumus.
Uxor, nata, pater, frater, soror ecce recedunt,
    Filius et mater, nec meminêre tui.
Quid prosunt mimi, quid mollis carmina cantus,
    Quid lepidae choreae, currus equusque ruens?
Quid thermae prosunt agitataque sylva Molossis,
    Quid celeri prosunt aequora secta rate?
Omnia destitues, simul ipsa corporis hujus
    Egrediêre domo voce jubente Dei.
Lota piis manibus tua pallida membra jacebunt
    Strata toro nigro, torpida membra situ,
Ardebunt circum dubio fulgore lucernae,
    Vas lustralis aquae, crux veneranda prope.
Accedent multi, fingent praeconia, multi
    Mordebunt labiis, aspera verba dabunt.
Luce carent oculi, nec dictis panditur auris,
    Immotaeque manus, diriguêre pedes,
Ora occlusa silent; somno merguntur amici,
    Flebilis uxor abest, turba cadaver habet —
Carmina foeda canunt, multo titubantia vino
    Membra movent alii, fundere corde preces
Non libet exstincti lacrymis relevare dolores,
    Estque procax risus, casta puella tremit;
Nox fugit, astra latent, sol aureus emicat orbi:
    Eheu te dominum limina prima domus
Protinus ejiciunt... circumdaris assere juncto,
    Et fortes humeros pondera dura premunt,

Turba coacta, frequens, elatum garrula turba
Excipit, et raros funera moesta movent.
Jam te fossa capit miserum tenebrosa profunda,
Discedunt omnes, nec meminêre tui.
Solus ines, jamjam vermes sociantur iniqui,
Depascunt carnes, ossa cinisque manent.
Marmora te memorant, ficti monumenta doloris,
Artificis dicit litera sculpta manu.
Transit ibi rarus per tristia septa viator,
Et laudes tumidas lumina rara legunt,
Litera deletur glaciali frigore brumae,
Imbribus ac nivibus, ni renovetur, abest...
Gens oblita tui! Transit per septa viator,
Nec, quis ibi jaceat, marmora muta docent,
Solus ibi sine teste jaces, solusque jacebis!
Nec mora, tollentur marmora... nemo tua
Amplius inveniet vestigia! Fata memento,
Omnia destitues! Pulvis et umbra sumus!!

ODE XVI.

MORS.

Per peccatum mors. (Rom. 5, 12).

Auctor est vitae Deus, hinc amaram
Non dedit mortem! Potuisset Adam
Non mori, conjux potuisset Eva; —
Anguis Averni

Intulit mortem! Miser heu beatis
Invidet, fructum vetitum maligna
Fraude commendat, comedunt parentes
Poma superbi.

Atra peccato generata mors est,
Poena peccati... moriuntur omnes,
Mortis infestae vitiò parentum
Filius haeres.

Est potens Agnus (memini), ferocem
Crux domat mortem, tamen ecce multa
Illius virtus, *moritura* mors est,
Strata *jacebit.*

Quum dies olim dabit ima certum
Tempori finem, simul ipsa mortis
Vim coërcebit, tumulos jubebit
Reddere praedam.

Interim vero moriemur omnes;
Terga dat saxo maris unda jussa,
Et gravi montes terebrantur alti
Pondere ferri:

Non fugas mortem, tenet una sceptrum,
Vincit invictum, juvenem senemque,
Non eam verbis lácrymisque flectis,
Optime Tulli!

Te petit semper furiosa bello,
Signa tu confers... sopor, esca, potus,
Et domus, vestis, medicina differt
Funeris horam.

Ignis injecto superatur imbre...
Invalet rursus; gravat unda navem,
Acta nequidquam tumido carinam
Aequore condit.

Valva pulsatur digito... vocaris!
Mors adest, Tulli, rapit illa segnem,
Si reluctetur... metuenda, Tulli,
Funeris hora!

ODE XVII.

MORS.

Quotidie morior. (1 Cor. 15, 31).

Vivere me dicunt, sed vita — celerrima mors est,
Continuo morior! Si potes, ista nega!
Principium vitae non est nisi mortis origo,
Unaquaque die mors mihi fida comes,
Semper enim brevior fit vita, ut cereus ardens
Usu depascor, me vorat ignis edax.
Est epulis exemta fames, sitis arida potu,
Et somnus renovat membra, relinquo torum,
Si didicisse juvat, si curo negotia fessus,
Do finem studiis atque labore vaco,
Colloquimur socii redeuntque silentia cara,
Ore modos cieo, pectine pulso fides,
Barbiton amoveo... discrimina multa laborum,
Intervalla placent! Mors tamen una manet,
Nam semper morior... non ulla est temporis hora,
Pars nulla est horae, quam retinere queam,
Vulnera dant omnes horae, necat ultima corpus,
Omnia praetereunt intereuntque statim!
Ecce colore nitet, demulcet odore suavi
Flos, quem lympha rigat... languidus ille perit;

Suspendit casses, quae pendet aranea tigno,
Nec mora saeva manus textile turbat opus,
Tela ruunt alesque volat, secat aequora puppis,
Scinduntur — coëunt aër et unda cito,
Excitus igne vapor tenues vanescit in auras,
Et nubes vento pellitur imbre gravis,
Illico diffugiunt veros imitantia casus
Somnia, praecipitant fulgura torto polo...
Vita est momentum! contendit apostolus, imo
Nil sunt ecce dies testificante Jobo.
Haec meminisse placet, procul hinc procul este superbi,
Dum licet, utamor tempore... certa salus!
Funera praecedunt, natalia nostra sequentur,
Non morietur homo, vita perennis erit!

ODE XVIII.

MORS.

Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat.
(Matth. 24, 50).

Larga mihi, Tulli, larga est mihi copia fandi,
Fundit aquas puteus, semper abundat aquis.
Non ego sum (fateor) facundo maximus ore,
Mors facunda — bibit verba salutis homo,
Aure bibit cupida, redditque petentibus ore,
Mors facunda mihi, docta magistra tibi.
Nescis homo finem... qua sis aetate necandus,
Num puer an juvenis, vir gracilisve senex.
Quo moriêre modo? Num mors inopina jubebit
Te vita fungi? Sudor, it, ossa tremunt!
Heu fors non poteris scelerum detergere sordes,
Non dabitur labris foederis esca novi,

Non unget tua membra liquor sanantis olivi,
Si crudelis agat saucia membra dolor?
Morbo decumbas longo? veniamque rogare
Mente inops nequeas? Si tumulêre mari?
Et barathro mergâre truci, feriâre dolone?
Si te saeva voret flamma? Memento mori!
Quo moriêre loco? Num te tua condet amica
An peregrina domus? Forte platea, forum,
Mensa parata cibo, ludo, conferta theatra,
Ara, taberna, torus, pascua, rura, nemus,
Suppliciive locus pallentia membra videbunt!
Nescit homo finem, temporis ima dies
Uni nota Deo! Tibi diluxisse supremum
Omnem crede diem. Pondera pone cito
Pondera peccati, non est truculentior hostis,
Effuso Domini sanguine corda lava,
In cruce parta salus, et crux feret una salutem,
Dummodo sit fidei consociatus amor,
Detestare nefas, elapsae crimina vitae,
Pande sacerdoti. Si meliora probes,
Si poenae placeant, quas vindex irrogat, omnes,
Sacra manus veniam dat, revocata redit
Pax Domini redimita comis, pax una voluptas,
Qua nulla est potior. Quaerit avarus opes:
Exulat alma quies; vanos ambimus honores:
Otia non faciunt; ignibus ardet amor,
Omnia turbantur, facit experientia cautum —
Unus meta Deus! Te vocat, eja (precor)
Carpe salutis iter, praefer mansura caducis,
Rumpe moras, Tulli, te rogo, curre, vola!
Nonne monet Dominus: Vigilate, estote parati?
Fac ut vivus ames, et morieris amans!
Mors echo vitae, mors ultima linea vitae,
Est jucunda bonis terribilisque malis!

ODE XIX.

AD VENERABILEM JOANNEM VIANNEY.

Visi sunt oculis insipientium mori... illi autem sunt in pace. (Sap. 3, 2-3).

Ingentes, venerande senex, ivêre labores,
    Ingentes ivêre dolores:
Dives opum coeli per amoena vireta vagaris,
    Dum cineres tua templa recondunt!
Forte valent omnes pretiosi corporis artus,
    Vermis abest, obscoena putredo!
Forte reservantur sacris altaribus artus...
    Dent patribus monumenta nepotes:
Spiritus haud raro torquetur in ignibus eheu —
    Tu sapiens ecclesia Christi,
Tu nullum celebras, nisi laudum munere dignus
    Sit coeli jam sede potitus.
Alma dies aderit (non ludor imagine vana),
    Qua trutina librabitur aequa
Intemerata fides, virtus immensa Joannis,
    Prodigiis decorabitur heros.
Festa dies aderit cunctis carissima Gallis,
    Qua summi tribuentur honores
Huic parvo magnoque viro... venerabilis icon
    Sublimi radiabit in ara,
Serta dabunt flores, fulgebant lumina circum,
    Turba ruens feret oscula Patri,
Qui sibi non vixit, vivit post fata superstes,
    Clangorem pia nola ciebit,

Pontifices aderunt, mactabitur hostia, cantu
    Arguto mulcebitur aër,
Heroëm dicent sermone potentia labra,
    Et lacrymae fundentur amoris;
Et semper toto celebrabitur orbe Joannes,
    Et semper laetabitur uno
Arsia ter felix uno memoranda Joanne.
    Tunc vatem me tristia busta,
Non me, sed cineres ac ossa rigentia condent!
    An patria tunc sede receptus
Commiscebor ovans aeterna sorte Beatis?
    Corda tremunt, it sudor in artus...
Una salus adamare crucem, mihi semper ituro
    Esto comes, venerande Joannes!

ODE XX.

AD VENERABILEM JOANNEM VIANNEY.

Erit... magnus coram Domino. (Luc. 1, 15).

Gallia magnae decus, o Joannes,
Stella nocturni pretiosa coeli,
O jubar solis... tibi ludo vates
    Flebile carmen.

Ecce collatus tibi sum locusta,
O gigas terrae — Libanique cedrus
Explicas frondes: ego sum paludis
    Vilis arundo.

Jam tuas multi cecinêre laudes,
Arsiam densae petiêre turbae:
Nec tamen nostram volitavit eheu
    Fama per urbem.

Parce, Tergeste, tibi numen—Hermes,
Tu probas — aurum; retulêre saepe
Nuntii nugas, latuitque dudum
Inclytus heros!

Nunc diem felix recolo beatam:
Sol mari mersus, nituêre coelo
Astra, sincero coiêre vincti
Foedere fratres.

Lingua damnàvit peritura terrae,
Dona quaesivit melioris aevi...
Iconas multas liber ecce nobis
Protulit almus.

Una confestim rapuit Joannis
Hospites omnes genialis icon:
Labra pastoris tacuêre... mirum!
Verba dedêre.

Gesta me carum docuit volumen,
Reddidi verbo calamoque gesta —
Fons mihi manat, vitreique lymphas
Haurio fontis.

Miror aerumnas, stupeo labores,
Ferreum corpus! Volat ille, findit
Arduas nubes: ego quaero tardus
Tecta domorum.

Tristor infelix lacrymasque fundo,
Praepetes anni, metuenda falce
Mors vocat segnem... lubet en volare...
Corruo velox —

Membra lassantur graviora plumbo!
Da mihi vires, precibus; Joannes,
Da mihi vires — tibi ludo vates
Flebile carmen.

ODE XXI.

S. FELICITAS EJUSQUE FILII.

Mater mirabilis... pereuntes septem filios... bono animo ferebat. (2 Macc. 7, 20).

Orta fides coelo, regina scientia, salve —
Sol oriens caligine mersam
Irradians terram, cithara te canto suavi.
Tu magnum sulcantibus aequor
Securus magnes, morbo languentibus atro
Quaesitae medicina salutis —
Tu pretio gemmas, laqueata palatia vincis,
Tu moesto solatia cordi
Una paras, casto mentem devincis amore,
Una doces portenta laborum
Heroum genitrix, tu justum sanguine fuso
Aeternis penetralibus infers.
Voce jubente tua cecidêre altaria Romae,
Et populi simulacra potentes
Contrivêre cito, rabiem posuêre tyranni;
Voce tua deserta, paludes
Diffugêre, graves campo glomerantur aristae,
Edit ovans vindemia botros,
Ingenuasque juvat didicisse fideliter artes,
Et pleno sapientia cornu

Consulit humanis rebus, juvenesque senesque
Thesauro potiuntur egeni!
Hos ubicumque licet Fidei spectate triumphos —
Infelix, qui lumine cassus
Emolumenta negat tanta crevisse magistra!
Sed pubes delira nepotum
Non meminit matris, tumidoque superbia vultu
Lucra cruci tribuenda seorsim
Mente putat crevisse sua! Nunc labitur aetas
Heu lacrymis dignissima nostris,
Heu ferro pejor, cui nunquam par fuit ulla —
Esse Deum, qui condidit orbem,
Coeca negat, lignumque crucis venerabile temnit;
Esse animas, quae corporis artus
Imperio moveant, rationis dote potentes,
Coeca negat; per devia fertur
Exlex! Jam pueris haec tetra venena propinant —
Non unquam spineta dedêre
Laticomas ficus: scelerum seges intumet, aevi
Me terret venientis imago.
Tergite vos septem conjuncti sanguine fratres,
Has lacrymas (rogo) tergite... mundo
Vos genuit sociata viro, viduata marito
Vos mater generosa feroci
Carnifici tradit metuendi lege tyranni
Nunc coelo paritura — triumphant!
Tres obeunt diris contusi fustibus, ecce,
Tres obeunt cervice resecta,
Septimus in terram praeceps colliditur actus —
Mater adest! comitatur euntes!
En genitricis amor Christi superatur amore!
Mater adest! immota resistit!
Haec Fidei virtus!! — stolidi sapientia vulgi:
"En patet exitus! (effera clamat)

Finem pone malis, mors ultima linea rerum!,,
Hic rapidis immergitur undis,
Ille cor infesto transverberat ense, vel igne
Molle caput cerebrumque resolvit!
Haec scelerum virtus!! fructu cognoscitur arbos —
Pulsa Fides revocata redibit!

ODE XXII.

TEMPESTAS.

Convertimini ad me, et salvi eritis. (Jes. 45, 22).

Vana salus hominis... quaeramus *amore* salutem!
Corda rigent, hinc verbere torto
Terga Deus lacerat patrati criminis ultor.
Si scopulis allisa fatiscat
Navis, et Oceano tumuletur nauta voraci;
Si Boreas incendia saevus
Augeat, usta domus cineres fumumque tepentem
Det prisci monumenta decoris;
Corpora si crucient avidi contagia morbi;
Et noceant mendacia famae;
Si grando segetes feriat, si vinea botros
Aegra neget, nec vellera Serum
Ore vomant vermes; si dirae cuspidis ictu
Cor teneri penetretur amici,
Morte vocante puer rapiatur ab ubere matris;
Si mulier rixosa maritum
Torqueat, et Croesi versuta rapina dolosi
Lucra sibi bene parta coloni

Vindicet, ac tellus ingenti percita motu,
    Terrifico concussa fragore
Aequet humo turres, ejecti montibus ignes
    Praecipiti torrente per arva
Volvantur... sontes plectuntur vindicis ira!
    Nullius mens conscia recti
Semper, corda patent laesuris ictibus, eheu
    Saepe cadit lassatus eundo
Raptus amore Dei: vitiorum mole gravatur
    Infando temerarius ausu,
Et sua quemque manet trutinâ librata fideli
    Poena eadem medicina salutis.
Nunc aliud poenae genus: infremuêre potentes,
    Ac odium implacabile Christi
Damna parat nobis — en Sponsa lacessitur Agni
    Jure novo vi fraude, Piusque
Ingeminat luctus, lacrymas effundit amaras!
    Quae tristis tot origo malorum?
Gemma crucis pretiosa diu vilescit ubique,
    Ac tumido sapientia fastu
Heu dudum replet vanis sermonibus aures,
    Et fatuos dum quaerimus ignes,
It jubar antiqui solis — moriuntur iniqui,
    In tumulo patet alta columna,
Cui truncatus apex obliquo tramite. Multis
    Si qua Fides, est parva lucerna,
Quae tenui flamma noctis non dissipat umbras,
    Et vento restinguitur ignis.
Fronde virens fructuque carens ficulnea prorsus
    Arefit; et sublata colonis
Ingratis meliore lucro vineta locantur,
    Et quarto succiditur anno
Arbor avara diu, nisi fructus promat amoenos,
    Et repetunt ab inerte talentum!

Orta Fides coelo magni facienda, beatus,
Qui comitem veneratur iturus!
Accedunt pelagi fluctus, iterumque recedunt:
Est Fidei revocabile donum!
Gentibus offertur, quod gens electa recusat,
Atque Arabes victricibus armis
Eripuê crucem variis regionibus orbis!
Haecce Dei metuenda flagella,
Haecce, Europa! cave— Superis carissima quondam!
Ni sapias, simulacra redibunt.
Pejor eris proavis, barathro mergêre profundo:
En proavi simulacra colebant —
Nunc Ratio Dea, numen Homo! Sapientibus eheu
Tanta placet dementia nostris.
Sint nobis pretiosa crucis vexilla, triumphi
Laus nullo delebitur aevo!
Hacce Fide pariatur amor: placabitur Agnus,
Et regum gravis ira quiescet!

ODE XXIII.

TEMPESTAS.

Oratio humiliantis se nubes penetrabit... et non discedet, donec Altissimus aspiciat. (Eccli. 35, 21).

Est *precibus* quaerenda salus! Glomerantur ubique
Tartareo stimulante dracone
Hostiles turmae, replent clamoribus auras,
Accurrunt crepitantibus armis,
Caede calent, vultusque ferox, exercitus ingens —
Turpe fugâ dare terga per agros,

Nos vexilla vocant Christi rubicunda cruore,
Stant acies, discrimina belli
Exacuant animos, mediosque ruamus in hostes,
Fulmineo mucrone potentes!
Unde salus pugnae? Non ferro vincimus, uno
Laeta oritur victoria coelo!
Quis vires tribuit certantibus ingeniumque?
Telorum quis roborat ictus?
Est Deus omnipotens, qui condidit omnia verbo,
Est idem, qui pulveris instar
Terribiles hostes in partes dissipat omnes; —
En fundâ puer atque lapillis
Continuo stravit metuendum corpore monstrum...
Laeta oritur victoria coelo!
Fundamenta loca, sectoque palatia saxo
Structa leves tollantur in auras:
Ni Deus affuerit, succrescunt vortice flammae,
Terra tremit... ruit ardua moles.
Da pelago naves, exerce vomere glebas,
Prome gravi medicamina morbo,
Raucum quaere forum facundo maximus ore,
Et vultus imitetur imago,
Assiduis manibus pretiosa volumina versa,
Et nummi sudore parentur,
Fer populo leges, ito mercator ad Indos,
Tironum cor finge magister —
Virtuti ne fide tuae, virtutis origo
In coelo quaerenda! Memento
Petri, qui laceras sarcivit vimine nassas:
Retia tota nocte tetendit
Piscibus, at pelago semper latuêre profundo;
Insidias iterare jubetur,
Protinus en binae replentur pondere naves.
Divitias sine numine quaerit

Auri sacra fames: obolo spoliantur egeni,
Gaza ruit — sibi lucra labore
Et Domini virtute parat mens conscia recti:
Ac semper bene parta reservat.
Conglomerata phalanx studiis asperrima belli
Non terret, qui poplite flexo
Tollit ad astra manus. In valle repellitur hostis,
Dum Superos in monte fatigat
Amramides supplex, finditque precatio nubes,
Nec solio discedit Olympi,
Ni Deus omnipotens faciles accommodet aures.
Ore preces exercitus ingens
Fundat, ut indomitam vis tanta coërceat iram
Divina virtute leonum.
Non dabit una merum, quae prominet uva racemo,
Innumeras fert vinea baccas,
Sicque cados onerat spumante liquore colonus,
Innumeros capit area culmos,
Non daret una penum quantumlibet aurea spica,
Quum coelo demittitur imber,
Si potes, enumera guttas, quibus arva madescunt,
Quot radiis sol igneus ardet!
Viribus unitis dabitur victoria — longo,
Longo (inquam) certamine fessus
Victor ovat, — magni terebrantur viscera montis,
Et portus conduntur amici,
Construiturque domus, via ferrea permeat urbes,
Fervet opus, dant tempora finem:
Fide Deo, contende diu, praetervolet hora,
Et faciet pax otia laeto.

ODE XXIV.

TEMPESTAS.

Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium. (Matth. 17, 20).

Vana salus hominis — quaeramus amore salutem,
Et precibus quaeramus amorem,
Et precibus foveatur amor; caret igne lucerna,
Quae succo viduetur olivae,
Flamma resurgit ovans infusa Pallade, noctis
Igne novo dispellitur umbra.
Sed lucis metire gradus, nutritur olivis,
Lux potior nutrita liquore
Petrarum, electro generata fit aemula solis,
Ergo salus quaerenda *dolore.*
Crede mihi, frater, pariuntur gaudia fletu,
Flet mater, sed nascitur infans,
Heroës flevêre diu, laetantur in aevum,
Semper erit virtutis origo
Lacryma, semper erit cordis tutela fidelis.
Ut constat, splendescere lunam,
Astra micare polo, coelum terramque moveri,
Et nivibus turgescere montes,
Et flores varios hortis fragrantibus edi,
Et Boreas pervertere campos,
Augeri, minui pelagus, frondescere sylvas,
Et vermes dare serica fila...
Haud secus atroces tibi lucra tulisse dolores,
Et mansura tulisse memento.

Non fuit ullus homo felici Virgine demta,
Nullus homo generabitur unquam
Labe carens omni, dum vitae carpitur aura,
Et vestis mundata lavacro
Polluitur maculis sordetque frequentibus eheu;
Una salus in sanguine Christi!
Nulla salus miseris, ni flammis corda calescant,
Ni lacrymae cieantur amarae.
Et renovatus homo vasto contendere campo
Circumquaque furentibus eheu
Hostibus oppressus divina lege jubetur;
Miles homo, discrimina belli
Multa, dabit vigili laetam victoria palmam
Continuo parienda dolore.
Sanguine deletur teterrima culpa, sed eheu
Poena manet delenda dolore,
Vivimus immemores poenae, praetervolat hora,
Finis adest, delebitur olim
Carceris horrendi crepitantibus ignibus, atrox
Poena manet, qui terga flagellis
Subtraxêre, rosas capiti sparsêre venustas —
Poena via est, quae ducit ad astra!
Felices lacrymae, quae nunc labuntur obortae,
Quas letum deterget euntes!
Ni fuerint comites, nisi mollia corda rigentur,
Nulla precum fiducia, frustra
Voce fatigamus superos: praemittitur imber,
Et locuples oratio gaudet!
Nota viris sanctis haec rara scientia dudum:
Torquebant jejunia fauces,
Fessa brevi somno claudebant lumina, semper
Dulce pati sapientia vitae.
Sunt binae volucri pennae, si dempseris unam,
Tarda nequit per inane moveri:

Da precibus lacrymas, et erunt virtute potentes,
    Verba rogant, et flectitur ira
Vindicis, et coelo descendunt dona secundo,
    Haec animo sententia constat:
Daemonas expelli precibus junctoque dolore.
    En sine pace relabitur orbis
In chaos antiquum... quis voce medebitur una
    Morbis, qui grassantur ubique?
Flere lubet, lacrymasque diu lubet edere multas:
    Pacatus laetabitur Orbis.

ODE XXV.

SUB ARBORE.

Beatus vir, qui timet Dominum. (Ps. 111, 1). *Erit tanquam lignum.* (Ps. 1, 3).

Arborem dico: taciturna vatem
Me docet dudum, bibo laetus almam
Aure doctrinam ferioque blandas
        Pectine chordas.

Non ego nugas hominum disertas,
Non sales venor satyraeque tela,
Os loquax odi... mihi nulla ferret
        Lucra salutis.

Turba stultorum graciles aristas
Laudibus tollat vacuasque nuces;
Nemini prodest viduata dulci
        Amphora vino.

Arborem dico: docet en magistra
Cara tirones, Deus hanc docere
Arborem jussit, laticesque plena
Concha dat ori.

Seu rosae crescant violaeque molles,
Horreis condat segetem colonus,
Exserat pingues onerata botros
Palmite vitis;

Seu gelu montes niviumque mole
Torpeant cani... sine nube solis
Ardeant ignes, radietve coelo
Luna sereno:

Arbor haec prodest, sapientiaeque
Jussa thesauros opulenta promit,
Omnibus gazis pretiosiora
Dona magistrae.

Ecce radices agit arbor imas,
Quas humo condit: penetrale cordis
Me rapit vatem, latet heic amoris
Dives origo.

Non iners radix, operosa crescit,
Truncus assurgit, Deus exeundi
Arbori vires tribuit, fovetque
Viribus ortam.

Arbor haec lucem petit et calorem,
Aërem poscit pluviaeque guttas,
Providet custos olitorque damna
Sedulus arcet.

Excitat cordis Deus unus ignes,
Nutrit hos idem, generosus offert
Gratiae donum, calefitque sancto
Pectus amore.

Dat sacerdotes bonus ille Pastor
Et pium patrem vigilemque matrem,
Ipse dat sese... potiora dona
Quis ferat unquam?

Arbori lex est, dominatur una:
Est homo liber, sequitur moventem
Sponte, cor durum Domino trahenti
Sponte resistit.

Robur in trunco, rabidam procellam
Vincit illaesus: fremat acer hostis,
Est amor fortis, clypeo retundit
Daemonis ictus.

Arboris trunco generantur uno
Plurimi rami: parit una mater
Caritas, plures oriuntur una
Stirpe sorores.

Fructibus rami decorantur, idem
Est color cunctis parilisque forma:
At ferunt almae vario labore
Lucra sorores.

Haec preces fundit; luit illa poenas,
Et secant pontum, gregibusque praesunt,
Imbuunt mentes, relevantve morbos,
Jura tuentur.

Sed Fide cunctae sociantur una,
Una Spes illis melioris aevi,
Impigrae semper patriae suavis
Limina quaerunt.

Arbori densae viridesque frondes,
Et velut serto redimita fulget:
Enitet virtus, decus est amori,
Mira venustas.

Poma praebentur, volucresque cantant
Et parant nidos, peregrinus umbram
Captat et frigus, fruiturque somno
Lassus eundo.

Verbo et exemplo, precibus, dolore
Caritas prodest, radiante vultu
Allicit segnes, graviora saxo
Pectora scindit.

Occidunt frondes, volucres iêre,
Quid tibi prostat nisi triste lignum?
Caritas semper viret atque fructus
Promit opimos.

Arborem sternunt caries, bipennis,
Fulgur, et nulla revocanda voce
Caeditur ferro, vorat una sectam
Torrida flamma,

Ni velit ligno faber unus uti:
Ast amor nullis terebratur annis,
Viribus crescit, domitaque morte
Vivit in aevum!

ODE XXVI.

FIDES.

Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. (Hebr. 11, 1).

Credimus, immanes sinuare volumina, diros
Per Libyae deserta dracones
Spargere virus atrox, aquilas contingere nubes,
Horrentisve cacumine rupis
Praecipites ferri, rapientibus unguibus agnos
Et rostro laniare tremendo.
Credimus, horribiles immensa mole balaenas
Oceani percurrere fluctus,
Visceribus terrae condi pretiosa metalla,
Et gemmas radiare per orbem,
Innumeros flores variis regionibus edi,
Et fulgere coloribus hortos.
Si quis Alexandrum terno certamine Persas
Subjecisse, potentibus armis
Romanos referat Teucrorum stirpe creatos
Et populos domuisse feroces
Et regum capiti priscas rapuisse coronas,
Atque virum cognomine Magnum
Germanos, Italos, Francos virtute secunda
Imperio sociasse Quiritum,
Europam turbasse diu, calcasse tyrannum,
Quem tristi dedit insula fato,
Insula quem tenuit vigili custode Britanno,
Ni simus rationis egentes,

Semper habendà fides; cœloque errare planetas,
Quos solis moderantur habenae,
Circumagi terram revolutis mensibus anni,
Et Nilum benedicere campis,
Pontique Euxini misceri fluctibus Istrum,
Aethiopum nigrescere vultus,
Effundique lacus, incingi moenibus urbes,
Ingenio junxisse potentes
Aequora bina viros sublato navibus isthmo,
Non dubii contendimus omnes...
Tolle fidem, tolluntur avi, tolluntur honores,
Nixa fide sunt stemmata regum.
Tolle fidem dapibusque vacas vinoque rubenti,
Et vitreas haurire vetaris
Fontis aquas, somnoque gravis decumbere lecto,
Atque fores penetrare domorum.
Nec tibi vellus oves, nec docti serica vermes
Fila dabunt, torpebis inerti
Frigore nudus homo, tabulis conscripta repelles
Verba miser, tibi nulla salutem
Verba ferent emissa labris, latitabis in antris,
Insidiis agitatus ubique.
Tolle fidem, jam patre cares, orbabere matre,
Fratre cares almaque sorore,
Prole cares et solus eris, teterrimus hostis
Ipse tibi morière tyrannus!
Una fides homines sociat, concordia felix,
Vitales dum carpimus auras,
Omnis origo boni, pariunt portenta labores,
Quae veniens mirabitur aetas.
Ecce fides hominum socialia vincula nectit,
Et fidei si vincula rumpas,
Cuncta ruunt!... Aeterna petunt oracula coeli
Jure fidem potiore, magistro

Uno effusa Deo labuntur flumina veri,
Acta probant miracula, vates!
Si verum nequeat rationis lumine pandi,
Tuta Fides bene parta recondit!

ODE XXVII.

QUERIMONIA.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.
(Job. 14, 1).

Ocyus vento jaculoque torto
Fertur aerumnis agitata vita,
Ecquis immensae truculenta lustret
Crimina turbae?

Heu Fides coelo temeratur orta,
Et sacros ludunt satyrae ministros,
Templa proculcat, pia vulgus odit
Claustra profanum.

Melleo fraudes meditantur ore,
Dives usurâ nova lucra quaerit,
Furta non horrent, sibi latro pondus
Vindicat auri.

Coeca depascit juvenes libido,
Rara custodit niveum pudorem
Virgo, flet conjux, sociale rupit
Foedus adulter.

Lividi rodunt bene gesta dentes,
Lingua delirat calefacta vino,
Aestuant irae, metuenda jactant
Vulnera sicae.

Cuncta pessumdat solii cupido,
Arma collidunt inimica cives,
Plurimi occumbunt, bibit ampla nigrum
Terra cruorem.

Uberes eheu populantur hortos,
Fertiles campos tumidasque vites,
Et fames ardet, lacero teguntur
Corpora panno.

Arguunt pestem vidui penates,
Urbium fumant tepidae ruinae,
Exulant artes, fugiunt Lycei
Otia tuti.

Obruor luctu, reminiscor idem
Patriae dulcis, lacrymasque sisto,
Sunt breves curae, patriae manebunt
Gaudia semper.

ODE I.

AMOR.

Praebe, fili mi, cor tuum mihi. (Prov. 23, 26).

Te te, dulcis Amor semper amabilis,
Non me semper amem, deliciis scatet
Felix vita Deum semper amantium;
Auctorem, cor, ama tuum.

Acrem deme salem, non sapiunt dapes:
Si Jesus fugiat, cor miserum gelu
Horrescis rigido, ver tamen omnibus,
Nulli bruma ferox placet.

O cor, vasta tibi sunt penetralia,
Uno digna Deo, tanta palatia
Nullum replet opus... sint tibi marmore
Constructae Pario domus,

Sint vestes Tyriae, vinaque Massica:
O cor, es vacuum, si procul est Deus;
Sint panni laceri, parva mapalia,
Et fauces careant cibo:

O cor, cuncta tenes, si Deus est tibi!
En vermes terebrant poma rubentia,
Et fuco facies pallida spargitur,
(Heu spectacula tetrica)...

Quot pacem simulant, quos tamen efferum
Bellum discruciat! Cor picea diu
Tempestate vagum nullibi nullibi
Portus invenis otia,

Ni Jesus redeat! Cerne trabem crucis,
Heic heic necte moras, continuas (rogo),
Rauci quaeso fori murmura despice,
Has semper latebras ama.

ODE II.

TRISTIS.

Delectatus sum. (Ps. 76, 4).

Eja laetemur, nocet iste luctus,
An diu flendo relevatur aeger?
Heu viatores, licet ingemiscant,
Sarcina torquet.

Sunt bonis eheu mala mixta semper,
Hac sumus nati genus omne sorte,
Semper est passum, patietur eheu
Semper ubique.

Ecce germanum probat ignis aurum,
Et rubet multis rosa cincta spinis,
Alta nequidquam rabie procellae
Tunditur ilex.

Innocens non sum, sua quemque vexat
Culpa mortalem, subeunda nobis
Poena delicti, medicina morbum
Tollit amarà.

En jugo pressi graviore languent
Plurimi fratres, decet esse fortem
Me sacerdotem, pia verba semper
Facta sequantur.

Christus immanes adiit dolores,
Non ero tiro potior magistro,
Ad fores coeli via nos ituros
Aspera ducit.

ODE III.

SERMO SACER.

Sufficientia nostra ex Deo est. (2 Cor. 3, 5).

Clangit nola, vocor... tu benedic mihi,
Jesu Christe! tuam sollicitus crucem
Amplector, radios mitte (precor) tuos,
Qui pellant tenebras meas.

Indigno famulo da sapientiam,
Ni vires acuas, pondere deprimor,
Ut fratres doceam, me doceam prius,
Nam coecum fugiunt ducem.

Ne laudes cupiam, sum minimus, cave,
Ne multus videar mole scientiae,
Sunt guttae pelagi, quae didici, ruunt
Duris parta laboribus.

Solers lucra parem, meta mihi salus
Dilecti populi, ne feriam (precor)
Aures, cor penetrem, fervidus eloquar
Sanctae prodigium crucis.

Veri semper amans, criminis integer
Spargam vera lubens, crimina conteram,
Quî morbos abigam, si jaceam miser?
An carnes fatuo sale

Condimus? Latices concha prius bibit,
Plena effundit aquas, et docet et facit
Verbi praeco tui, sim veluti faces,
Dum flammâ radiant, calent.

Non utar tumido, non tenui stylo,
Multis pauca dabo, non nova sed nove;
Jesu, corda moves, fac tibi concinant
Laudis continuum melos.

ODE IV.

MORS.

Statutum est hominibus semel mori. (Hebr. 9, 27).

Dum vos intueor, busta silentia,
Labuntur lacrymae, flebilis heu subit
Patris culpa vetus, quae miseris obest
Tristi sorte nepotibus.

Livens invidiâ proditor angelus
Eduxit tenebris funera, diffugit
Vitae tempus edax, irrevocabili
Fato praetereunt dies.

Arcemus calidis frigora vestibus,
Jejunique cibis pocula jungimus,
Praebent tecta domus, celsa palatia,
    Fessi lumina claudimus:

Vestes, tecta, dapes et sopor arma sunt,
Fervent continui proelia funeris,
Omnes impavidi congredimur diu:
    Tandem membra quatit dolor,

In vultu macies, et tremulae manus,
Frontem sudor habet, sunt cava tempora,
Pendent labra, oculus lucidior vitro,
    Et torpent gelidi pedes.

Flent, rident... morimur, nola ciet sonos,
Vestimur rigidi, ponimur in toro,
Spectamur taciti, pondus equi trahunt,
    Udo condimur aggere.

ODE V.

RESTAURATIO.

Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. (Rom. 6, 23).

Terra ancilla hominis, servus homo Dei,
Terrae rex sit homo, rex hominis Deus!
Quid tanto imperio magnificentius?
    Quid sublimius hoc jugo?

Hoc jungi voluit condita vinculo
Patri Flàmen Amor! Vincula dulcia!
Pax terrae ac homini! pax homini ac Deo!
O dulcissima vincula!

Factus consilio numinis integer
Idem primus homo debuit integer
Extemplo *fieri* consilio suo;
"Sum factus, fieri volo!,,

Est hic sermo potens... poscit opus Dei
Libertatis opus! poma vetat Deus
Tentatusque cadit primus homo vafri
Deceptus colubri dolo.

Turbantur radii crimine, circuli
Felix ordo ruit, classica perstrepunt:
Armis numen homo, terra hominem petit...
O spectacula tristia!

Cur nectuntur adhuc corpora, spiritus?
Mortem non sequitur mors? (fore vindicem
Hanc dixit sceleris *praecipitem* Deus)...
Haec stipendia nonnisi

Sunt *dilata*, *manent* una homines *cruce:*
Quos solo imperio condiderat Deus,
Nunc idem Dominus denuo condidit
Ingenti merito crucis.

"Pax terrae ac homini, pax homini ac Deo!,,
Non mutabit homo consilium Dei!
Hinc tolli merito crimen oportuit,
Agni sanguine dilui;

Hinc nondum moriens primus homo novi
Auctor fit generis, Filius ut Dei
Nasci possit homo. Quis sapientiae
Tantum prodigium capit?

Eheu culpa vetus polluit hoc genus...
Arbos una sumus! polluit attamen,
Ut mundetur idem; damna prior tulit,
Alter lucra dedit parens.

Divini pretio sanguinis omnia
Tolli posse hominum crimina novimus,
Natos lympha lavat, continuoque dat
Vitam dextera judicis.

Surrexit Dominus, perdomuit trucem
Mortem victor ovans! mors tamen omnium
Pulsat certa fores; falce potens cito
Praedam restituet suam.

Mortales patimur, sunt mala plurima
Ultricis radii mortis, aranea
Haec tendit laqueos... proelia scilicet
Sunt miscenda ferocia,

Poena est flagitiis debita multiplex,
Certando acuitur tardus acinaces,
Victoris capiti serta rubentia
Dat victoria nobilis.

Condit terra sinu corpora putrida,
Donec sit generi finis, at ultimo
Restaurata sono corpora buccina
Reddet spiritibus, dein

Haec tellus homini serviet et Deo
Immortalis homo, saecula tunc erunt,
Quae nondum fuerant, aurea, saecula
Non lapsura, perennia.

ODE VI.

MONITA.

Fuge peccata. (Eccli. 21, 2).

Eheu desipimus... damna pecuniae
Lugemus miseri, dedecoris notam
Aspersam querimur, strata cadavera
Deplorant vidui lares,

Funduntur lacrymae flumine praepete,
Ponit sera modum tristitiae dies:
Virtutem vitio pellimus efferi...
Et rident hilares genae!!

Anni diffugiunt irrevocabiles,
Coeci diligimus ferrea vincula,
Horremus gelidi, cor adamantinum
Nullis rumpitur ictibus!!

Si pallet facies, protinus advolant
Sexcenti medici... vulnera pectoris
Heu despecta jacent, ecce putrescimus,
Nares illuviem probant.

Urgent innumerae sollicitudines,
Qui longum pedibus corripiunt iter...
Mors est certa viae meta celerrimae,
Torpent desidiâ manus!!



Se non dilaniat bellua dentibus...
In se crudus homo saepius irruit,
Nam qui cum Superis congreditur, suum
Ferro transadigit latus!

Pulchris poma rubent sparsa coloribus...
Sed vermis terebrat viscera luridus:
Fulgent busta gravi marmore, continent
Tabo foeda cadavera.

Auro sculpta riget litera splendido,
Heu mendax operis nuntia, nunc fragor
Vitae conticuit, nunc ululatibus
Late Tartarus insonat!

Sontes poena manet, poena gravissima,
Aeterno barathro conditur impius,
Illudunt misero daemones efferi,
Coeli carmina concinunt.

ODE VII.

IN HERODEM.

Decollavit Joannem in carcere. (Matth. 14, 10).

Num te tyrannum, dedecus horridum,
Immanis eheu progenuit leo,
An vagientem lacte multo
Terribiles aluêre tigres?

O qui beatum continuae neci
Vatem dedisses impatiens morae,
Ni crimen avertisset ingens
Dente minax gravis ira vulgi...

An non hiatus numine vindice
Terrae timebas telaque fulminis,
Quum traderes vinctum catenis
Carceribus reus innocentem?

Non non timebas... nullus inest metus
Poenae tyrannis, nec scelerum pudor,
Insanientis cuncta coeli
Transiliunt hominumque jura.

Miscentur undis arva tumentibus:
Truduntur eheu crimina crimine,
Cordique loricam rigentem
Circumagunt tenebrasque menti.

Elata fastu vilis adultera
Vesana torquet lumina flammea,
Vatisque censet non probantis
Turpe nefas ferienda colla...

Heu tü petentis vocibus annuis,
Nec vota damnas! Scilicet hoc fides
Jurata deposcit puellae,
Quae choreas agit impudica!

I, lictor, atras pande fores cito,
Mucrone stricto caede sacrum caput
Insontis, ac trunco relicto
Huic faciem superradde lanci.

Pota rubentem, bellua, sanguinem,
Largo rubentem flumine sanguinem
Herois, humanaque foedis
Cum sociis epulare carne.

Allata rictu fercula devora,
Crudelitati debita fercula,
Hoc imbre laetantur feroces,
His inhiant dapibus tyranni!

Sed tendet atrox insidias nepos,
Regno paterno te dabit exulem
Romanus, augebisque fletu
(Crede mihi) Rhodani fluenta,

Lustrabis agros hospes Iberiae,
Aerumna franget te profugum comes,
Judex sedebit, cui Joannes
Stravit iter, Deus Agnus ipse.

ODE VIII.

OCULI.

Emitte lucem tuam et veritatem tuam. (Ps. 42, 3).

Dat nobis oculos omnipotens Deus,
Quo non est melior, non sapientior...
Parvi sunt oculi, prodigium Dei
Experti medici stupent.

Si tollas oculos, nulla dies nitet,
Et nox squalet iners, heu miseri manu
Praetentamus iter, ni comes impiger
Incertos moveat pedes.

Heu fiunt minimi lumina, quae valent,
Et grando segetum, flamma vorax domus,
Latro saevus opum, trux pecudum lupus
Virtutem ac pretium probant.

Et cassi merito lumine plectimur...
Quidquid vasta poli regia continet,
Quidquid terra sinu continet ubere,
Felices oculi vident;

Sed, qui fecit opus, lumina non vident...
"Aeternis atomis mundus originem
Debet fortuitam!„ sesquipedalibus
Verbis haec fatui docent.

Pictorem tabulae protinus innuunt,
Sculptorem statuae, docta volumina
Auctorem, arma, rates, vasa, palatia
Produnt ingenium fabri.

Et procera Dei praebet imaginem
Arbor, praebet avis dulce canens melos,
Bombyx ore vomens fila tenacia,
Tradens mella favis apes;

Praebet vini acidi gutta, animalculis
Quae semper minimis affluit, horrido
Immensum pelagus turbine saeviens,
Condens monstra natantia.

Et coeli piceis nubibus obsiti,
Et flammis trifidis tela ruentia,
Quae late reboant, rauca tonitrua,
Omnes esse Deum docent.

Nequidquam miserae laude scientiae
Nequidquam erigeris, stulta superbia,
Ignes tu fatuos promis inhospitis
Delectata paludibus.

Permultos coluit Roma Quiritibus
Olim clara Deos, censuit attamen,
Se subdi Superis: at sapientia
Heu nulli Domino subest.

Unum tolle Deum juris originem,
Idem continuo legis originem
Tollis, jure homines, lege homines carent,
Supremus sibi quisque rex.

Unum tolle Deum, fulgura vindicis
Sontes non metuunt, nemo laboribus
Mercedem tribuit, nemo gementibus
Dat solatia tristibus.

Fundamenta ruunt, omnia vincula
Solvuntur, miseris fortior imperat,
Corraduntur opes non sine crimine,
Cunctis una placet Venus.

Sparsum terra bibet foetida sanguinem,
Ardebuntque domus... gentibus, o Deus,
Lucem redde crucis; regibus, o Deus,
Lucem da sapientiae.

ODE IX.

AD VALENTEM COECUM.

Coeci vident. (Matth. 11, 5).

Noli flere, Valens, sunt oculi quidem
Clausi voce Dei... quis tamen improbet,
Quae fecit Dominus? Redde oculos Deo,
Noli fundere lacrymas.

Solers lucra parem, meta mihi salus
Dilecti populi, ne feriam (precor)
Aures, cor penetrem, fervidus eloquar
Sanctae prodigium crucis.

Veri semper amans, criminis integer
Spargam vera lubens, crimina conteram,
Quî morbos abigam, si jaceam miser?
An carnes fatuo sale

Condimus? Latices concha prius bibit,
Plena effundit aquas, et docet et facit
Verbi praeco tui, sim veluti faces,
Dum flammâ radiant, calent.

Non utar tumido, non tenui stylo,
Multis pauca dabo, non nova sed nove;
Jesu, corda moves, fac tibi concinant
Laudis continuum melos.

ODE IV.

MORS.

Statutum est hominibus semel mori. (Hebr. 9, 27).

Dum vos intueor, busta silentia,
Labuntur lacrymae, flebilis heu subit
Patris culpa vetus, quae miseris obest
Tristi sorte nepotibus.

Livens invidiâ proditor angelus
Eduxit tenebris funera, diffugit
Vitae tempus edax, irrevocabili
Fato praetereunt dies.

Arcemus calidis frigora vestibus,
Jejunique cibis pocula jungimus,
Praebent tecta domus, celsa palatia,
Fessi lumina claudimus:

Vestes, tecta, dapes et sopor arma sunt.
Fervent continui proelia funeris,
Omnes impavidi congredimur diu:
Tandem membra quatit dolor.

In vultu macies, et tremulae manus,
Frontem sudor habet, sunt cava tempora,
Pendent labra, oculus lucidior vitro,
Et torpent gelidi pedes.

Flent, rident... morimur, nola ciet sonos,
Vestimur rigidi, ponimur in toro,
Spectamur taciti, pondus equi trahunt,
Udo condimur aggere.

ODE V.

RESTAURATIO.

Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. (Rom. 6, 23).

Terra ancilla hominis, servus homo Dei,
Terrae rex sit homo, rex hominis Deus!
Quid tanto imperio magnificentius?
Quid sublimius hoc jugo?

Hoc jungi voluit condita vinculo
Patri Flàmen Amor! Vincula dulcia!
Pax terrae ac homini! pax homini ac Deo!
O dulcissima vincula!

Factus consilio numinis integer
Idem primus homo debuit integer
Extemplo *fieri* consilio suo;
"Sum factus, fieri volo!,,

Est hic sermo potens... poscit opus Dei
Libertatis opus! poma vetat Deus
Tentatusque cadit primus homo vafri
Deceptus colubri dolo.

Turbantur radii crimine, circuli
Felix ordo ruit, classica perstrepunt:
Armis numen homo, terra hominem petit...
O spectacula tristia!

Cur nectuntur adhuc corpora, spiritus?
Mortem non sequitur mors? (fore vindicem
Hanc dixit sceleris *praecipitem* Deus)...
Haec stipendia nonnisi

Sunt *dilata*, *manent* una homines *cruce:*
Quos solo imperio condiderat Deus,
Nunc idem Dominus denuo condidit
Ingenti merito crucis.

"Pax terrae ac homini, pax homini ac Deo!,,
Non mutabit homo consilium Dei!
Hinc tolli merito crimen oportuit,
Agni sanguine dilui;

Hinc nondum moriens primus homo novi
Auctor fit generis, Filius ut Dei
Nasci possit homo. Quis sapientiae
Tantum prodigium capit?

Eheu culpa vetus polluit hoc genus...
Arbos una sumus! polluit attamen,
Ut mundetur idem; damna prior tulit,
Alter lucra dedit parens.

Divini pretio sanguinis omnia
Tolli posse hominum crimina novimus,
Natos lympha lavat, continuoque dat
Vitam dextera judicis.

Surrexit Dominus, perdomuit trucem
Mortem victor ovans! mors tamen omnium
Pulsat certa fores; falce potens cito
Praedam restituet suam.

Mortales patimur, sunt mala plurima
Ultricis radii mortis, aranea
Haec tendit laqueos... proelia scilicet
Sunt miscenda ferocia,

Poena est flagitiis debita multiplex,
Certando acuitur tardus acinaces,
Victoris capiti serta rubentia
Dat victoria nobilis.

Condit terra sinu corpora putrida,
Donec sit generi finis, at ultimo
Restaurata sono corpora buccina
Reddet spiritibus, dein

Haec tellus homini serviet et Deo
Immortalis homo, saecula tunc erunt,
Quae nondum fuerant, aurea, saecula
Non lapsura, perennia.

ODE VI.

MONITA.

Fuge peccata. (Eccli. 21, 2).

Eheu desipimus... damna pecuniae
Lugemus miseri, dedecoris notam
Aspersam querimur, strata cadavera
Deplorant vidui lares,

Funduntur lacrymae flumine praepete,
Ponit sera modum tristitiae dies:
Virtutem vitio pellimus efferi...
Et rident hilares genae!!

Anni diffugiunt irrevocabiles,
Coeci diligimus ferrea vincula,
Horremus gelidi, cor adamantinum
Nullis rumpitur ictibus!!

Si pallet facies, protinus advolant
Sexcenti medici... vulnera pectoris
Heu despecta jacent, ecce putrescimus,
Nares illuviem probant.

Urgent innumerae sollicitudines,
Qui longum pedibus corripiunt iter...
Mors est certa viae meta celerrimae,
Torpent desidiâ manus!!

Se non dilaniat bellua dentibus...
In se crudus homo saepius irruit,
Nam qui cum Superis congreditur, suum
Ferro transadigit latus!

Pulchris poma rubent sparsa coloribus...
Sed vermis terebrat viscera luridus:
Fulgent busta gravi marmore, continent
Tabo foeda cadavera.

Auro sculpta riget litera splendido,
Heu mendax operis nuntia, nunc fragor
Vitae conticuit, nunc ululatibus
Late Tartarus insonat!

Sontes poena manet, poena gravissima,
Aeterno barathro conditur impius,
Illudunt misero daemones efferi,
Coeli carmina concinunt.

ODE VII.

IN HERODEM.

Decollavit Joannem in carcere. (Matth. 14, 10).

Num te tyrannum, dedecus horridum,
Immanis eheu progenuit leo,
An vagientem lacte multo
Terribiles aluêre tigres?

O qui beatum continuae neci
Vatem dedisses impatiens morae,
Ni crimen avertisset ingens
Dente minax gravis ira vulgi...

Lividi rodunt bene gesta dentes,
Lingua delirat calefacta vino,
Aestuant irae, metuenda jactant
Vulnera sicae.

Cuncta pessumdat solii cupido,
Arma collidunt inimica cives,
Plurimi occumbunt, bibit ampla nigrum
Terra cruorem.

Uberes eheu populantur hortos,
Fertiles campos tumidasque vites,
Et fames ardet, lacero teguntur
Corpora panno.

Arguunt pestem vidui penates,
Urbium fumant tepidae ruinae,
Exulant artes, fugiunt Lycei
Otia tuti.

Obruor luctu, reminiscor idem
Patriae dulcis, lacrymasque sisto,
Sunt breves curae, patriae manebunt
Gaudia semper.



ODE I.

AMOR.

Praebe, fili mi, cor tuum mihi. (Prov. 23, 26).

Te te, dulcis Amor semper amabilis,
Non me semper amem, deliciis scatet
Felix vita Deum semper amantium;
  Auctorem, cor, ama tuum.

Acrem deme salem, non sapiunt dapes:
Si Jesus fugiat, cor miserum gelu
Horrescis rigido, ver tamen omnibus,
  Nulli bruma ferox placet.

O cor, vasta tibi sunt penetralia,
Uno digna Deo, tanta palatia
Nullum replet opus... sint tibi marmore
  Constructae Pario domus,

Sint vestes Tyriae, vinaque Massica:
O cor, es vacuum, si procul est Deus;
Sint panni laceri, parva mapalia,
  Et fauces careant cibo:

O cor, cuncta tenes, si Deus est tibi!
En vermes terebrant poma rubentia,
Et fuco facies pallida spargitur,
(Heu spectacula tetrica)...

Quot pacem simulant, quos tamen efferum
Bellum discruciat! Cor picea diu
Tempestate vagum nullibi nullibi
Portus invenis otia,

Ni Jesus redeat! Cerne trabem crucis,
Heic heic necte moras, continuas (rogo),
Rauci quaeso fori murmura despice,
Has semper latebras ama.

ODE II.

TRISTIS.

Delectatus sum. (Ps. 76, 4).

Eja laetemur, nocet iste luctus,
An diu flendo relevatur aeger?
Heu viatores, licet ingemiscant,
Sarcina torquet.

Sunt bonis eheu mala mixta semper,
Hac sumus nati genus omne sorte,
Semper est passum, patietur eheu
Semper ubique.

Ecce germanum probat ignis aurum,
Et rubet multis rosa cincta spinis,
Alta nequidquam rabie procellae
Tunditur ilex.

Innocens non sum, sua qüemque vexat
Culpa mortalem, subeunda nobis
Poena delicti, medicina morbum
Tollit amarà.

En jugo pressi graviore languent
Plurimi fratres, decet esse fortem
Me sacerdotem, pia verba semper
Facta sequantur.

Christus immanes adiit dolores,
Non ero tiro potior magistro,
Ad fores coeli via nos ituros
Aspera ducit.

ODE III.

SERMO SACER.

Sufficientia nostra ex Deo est. (2 Cor. 3, 5).

Clangit nola, vocor... tu benedic mihi,
Jesu Christe! tuam sollicitus crucem
Amplector, radios mitte (precor) tuos,
Qui pellant tenebras meas.

Indigno famulo da sapientiam,
Ni vires acuas, pondere deprimor,
Ut fratres doceam, me doceam prius,
Nam coecum fugiunt ducem.

Ne laudes cupiam, sum minimus, cave,
Ne multus videar mole scientiae,
Sunt guttae pelagi, quae didici, ruunt
Duris parta laboribus.

Arborem dico: docet en magistra
Cara tirones, Deus hanc docere
Arborem jussit, laticesque plena
Concha dat ori.

Seu rosae crescant violaeque molles,
Horreis condat segetem colonus,
Exserat pingues onerata botros
Palmite vitis;

Seu gelu montes niviumque mole
Torpeant cani... sine nube solis
Ardeant ignes, radietve coelo
Luna sereno:

Arbor haec prodest, sapientiaeque
Jussa thesauros opulenta promit,
Omnibus gazis pretiosiora
Dona magistrae.

Ecce radices agit arbor imas,
Quas humo condit: penetrale cordis
Me rapit vatem, latet heic amoris
Dives origo.

Non iners radix, operosa crescit,
Truncus assurgit, Deus exeundi
Arbori vires tribuit, fovetque
Viribus ortam.

Arbor haec lucem petit et calorem,
Aërem poscit pluviaeque guttas,
Providet custos olitorque damna
Sedulus arcet.

Excitat cordis Deus unus ignes,
Nutrit hos idem, generosus offert
Gratiae donum, calefitque sancto
Pectus amore.

Dat sacerdotes bonus ille Pastor
Et pium patrem vigilemque matrem,
Ipse dat sese... potiora dona
Quis ferat unquam?

Arbori lex est, dominatur una:
Est homo liber, sequitur moventem
Sponte, cor durum Domino trahenti
Sponte resistit.

Robur in trunco, rabidam procellam
Vincit illaesus: fremat acer hostis,
Est amor fortis, clypeo retundit
Daemonis ictus.

Arboris trunco generantur uno
Plurimi rami: parit una mater
Caritas, plures oriuntur una
Stirpe sorores.

Fructibus rami decorantur, idem
Est color cunctis parilisque forma:
At ferunt almae vario labore
Lucra sorores.

Haec preces fundit; luit illa poenas,
Et secant pontum, gregibusque praesunt,
Imbuunt mentes, relevantve morbos,
Jura tuentur.

Sed Fide cunctae sociantur una,
Una Spes illis melioris aevi,
Impigrae semper patriae suavis
Limina quaerunt.

Arbori densae viridesque frondes,
Et velut serto redimita fulget:
Enitet virtus, decus est amori,
Mira venustas.

Poma praebentur, volucresque cantant
Et parant nidos, peregrinus umbram
Captat et frigus, fruiturque somno
Lassus eundo.

Verbo et exemplo, precibus, dolore
Caritas prodest, radiante vultu
Allicit segnes, graviora saxo
Pectora scindit.

Occidunt frondes, volucres iêre,
Quid tibi prostat nisi triste lignum?
Caritas semper viret atque fructus
Promit opimos.

Arborem sternunt caries, bipennis,
Fulgur, et nulla revocanda voce
Caeditur ferro, vorat una sectam
Torrida flamma,

Ni velit ligno faber unus uti:
Ast amor nullis terebratur annis,
Viribus crescit, domitaque morte
Vivit in aevum!

ODE XXVI.

FIDES.

Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. (Hebr. 11, 1).

Credimus, immanes sinuare volumina, diros
Per Libyae deserta dracones
Spargere virus atrox, aquilas contingere nubes,
Horrentisve cacumine rupis
Praecipites ferri, rapientibus unguibus agnos
Et rostro laniare tremendo.
Credimus, horribiles immensa mole balaenas
Oceani percurrere fluctus,
Visceribus terrae condi pretiosa metalla,
Et gemmas radiare per orbem,
Innumeros flores variis regionibus edi,
Et fulgere coloribus hortos.
Si quis Alexandrum terno certamine Persas
Subjecisse, potentibus armis
Romanos referat Teucrorum stirpe creatos
Et populos domuisse feroces
Et regum capiti priscas rapuisse coronas,
Atque virum cognomine Magnum
Germanos, Italos, Francos virtute secunda
Imperio sociasse Quiritum,
Europam turbasse diu, calcasse tyrannum,
Quem tristi dedit insula fato,
Insula quem tenuit vigili custode Britanno,
Ni simus rationis egentes,

Semper habendà fides; cœloque errare planetas,
    Quos solis moderantur habenae,
Circumagi terram revolutis mensibus anni,
    Et Nilum benedicere campis,
Pontique Euxini misceri fluctibus Istrum,
    Aethiopum nigrescere vultus,
Effundique lacus, incingi moenibus urbes,
    Ingenio junxisse potentes
Aequora bina viros sublato navibus isthmo,
    Non dubii contendimus omnes...
Tolle fidem, tolluntur avi, tolluntur honores,
    Nixa fide sunt stemmata regum.
Tolle fidem dapibusque vacas vinoque rubenti,
    Et vitreas haurire vetaris
Fontis aquas, somnoque gravis decumbere lecto,
    Atque fores penetrare domorum.
Nec tibi vellus oves, nec docti serica vermes
    Fila dabunt, torpebis inerti
Frigore nudus homo, tabulis conscripta repelles
    Verba miser, tibi nulla salutem
Verba ferent emissa labris, latitabis in antris,
    Insidiis agitatus ubique.
Tolle fidem, jam patre cares, orbabere matre,
    Fratre cares almaque sorore,
Prole cares et solus eris, teterrimus hostis
    Ipse tibi morière tyrannus!
Una fides homines sociat, concordia felix,
    Vitales dum carpimus auras,
Omnis origo boni, pariunt portenta labores,
    Quae veniens mirabitur aetas.
Ecce fides hominum socialia vincula nectit,
    Et fidei si vincula rumpas,
Cuncta ruunt!... Aeterna petunt oracula coeli
    Jure fidem potiore, magistro

Uno effusa Deo labuntur flumina veri,
    Acta probant miracula, vates!
Si verum nequeat rationis lumine pandi,
    Tuta Fides bene parta recondit!

ODE XXVII.

QUERIMONIA.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.
(Job. 14, 1).

Ocyus vento jaculoque torto
Fertur aerumnis agitata vita,
Ecquis immensae truculenta lustret
    Crimina turbae?

Heu Fides coelo temeratur orta,
Et sacros ludunt satyrae ministros,
Templa proculcat, pia vulgus odit
    Claustra profanum.

Melleo fraudes meditantur ore,
Dives usurâ nova lucra quaerit,
Furta non horrent, sibi latro pondus
    Vindicat auri.

Coeca depascit juvenes libido,
Rara custodit niveum pudorem
Virgo, flet conjux, sociale rupit
    Foedus adulter.

Lividi rodunt bene gesta dentes,
Lingua delirat calefacta vino,
Aestuant irae, metuenda jactant
Vulnera sicae.

Cuncta pessumdat solii cupido,
Arma collidunt inimica cives,
Plurimi occumbunt, bibit ampla nigrum
Terra cruorem.

Uberes eheu populantur hortos,
Fertiles campos tumidasque vites,
Et fames ardet, lacero teguntur
Corpora panno.

Arguunt pestem vidui penates,
Urbium fumant tepidae ruinae,
Exulant artes, fugiunt Lycei
Otia tuti.

Obruor luctu, reminiscor idem
Patriae dulcis, lacrymasque sisto,
Sunt breves curae, patriae manebunt
Gaudia semper.

ODE I.

AMOR.

Praebe, fili mi, cor tuum mihi. (Prov. 23, 26).

Te te, dulcis Amor semper amabilis,
Non me semper amem, deliciis scatet
Felix vita Deum semper amantium;
    Auctorem, cor, ama tuum.

Acrem deme salem, non sapiunt dapes:
Si Jesus fugiat, cor miserum gelu
Horrescis rigido, ver tamen omnibus,
    Nulli bruma ferox placet.

O cor, vasta tibi sunt penetralia,
Uno digna Deo, tanta palatia
Nullum replet opus... sint tibi marmore
    Constructae Pario domus,

Sint vestes Tyriae, vinaque Massica:
O cor, es vacuum, si procul est Deus;
Sint panni laceri, parva mapalia,
    Et fauces careant cibo:

Non fuit ullus homo felici Virgine demta,
Nullus homo generabitur unquam
Labe carens omni, dum vitae carpitur aura,
Et vestis mundata lavacro
Polluitur maculis sordetque frequentibus eheu;
Una salus in sanguine Christi!
Nulla salus miseris, ni flammis corda calescant,
Ni lacrymae cieantur amarae.
Et renovatus homo vasto contendere campo
Circumquaque furentibus eheu
Hostibus oppressus divina lege jubetur;
Miles homo, discrimina belli
Multa, dabit vigili laetam victoria palmam
Continuo parienda dolore.
Sanguine deletur teterrima culpa, sed eheu
Poena manet delenda dolore,
Vivimus immemores poenae, praetervolat hora,
Finis adest, delebitur olim
Carceris horrendi crepitantibus ignibus, atrox
Poena manet, qui terga flagellis
Subtraxêre, rosas capiti sparsêre venustas —
Poena via est, quae ducit ad astra!
Felices lacrymae, quae nunc labuntur obortae,
Quas letum deterget euntes!
Ni fuerint comites, nisi mollia corda rigentur,
Nulla precum fiducia, frustra
Voce fatigamus superos: praemittitur imber,
Et locuples oratio gaudet!
Nota viris sanctis haec rara scientia dudum:
Torquebant jejunia fauces,
Fessa brevi somno claudebant lumina, semper
Dulce pati sapientia vitae.
Sunt binae volucri pennae, si dempseris unam,
Tarda nequit per inane moveri:

Da precibus lacrymas, et erunt virtute potentes,
    Verba rogant, et flectitur ira
Vindicis, et coelo descendunt dona secundo,
    Haec animo sententia constat:
Daemonas expelli precibus junctoque dolore.
    En sine pace relabitur orbis
In chaos antiquum... quis voce medebitur una
    Morbis, qui grassantur ubique?
Flere lubet, lacrymasque diu lubet edere multas:
    Pacatus laetabitur Orbis.

ODE XXV.

SUB ARBORE.

Beatus vir, qui timet Dominum. (Ps. 111, 1). *Erit tanquam lignum.* (Ps. 1, 3).

Arborem dico: taciturna vatem
Me docet dudum, bibo laetus almam
Aure doctrinam ferioque blandas
            Pectine chordas.

Non ego nugas hominum disertas,
Non sales venor satyraeque tela,
Os loquax odi... mihi nulla ferret
            Lucra salutis.

Turba stultorum graciles aristas
Laudibus tollat vacuasque nuces;
Nemini prodest viduata dulci
            Amphora vino.

Arborem dico: docet en magistra
Cara tirones, Deus hanc docere
Arborem jussit, laticesque plena
Concha dat ori.

Seu rosae crescant violaeque molles,
Horreis condat segetem colonus,
Exserat pingues onerata botros
Palmite vitis;

Seu gelu montes niviumque mole
Torpeant cani... sine nube solis
Ardeant ignes, radietve coelo
Luna sereno:

Arbor haec prodest, sapientiaeque
Jussa thesauros opulenta promit,
Omnibus gazis pretiosiora
Dona magistrae.

Ecce radices agit arbor imas,
Quas humo condit: penetrale cordis
Me rapit vatem, latet heic amoris
Dives origo.

Non iners radix, operosa crescit,
Truncus assurgit, Deus exeundi
Arbori vires tribuit, fovetque
Viribus ortam.

Arbor haec lucem petit et calorem,
Aërem poscit pluviaeque guttas,
Providet custos olitorque damna
Sedulus arcet.

Excitat cordis Deus unus ignes,
Nutrit hos idem, generosus offert
Gratiae donum, calefitque sancto
Pectus amore.

Dat sacerdotes bonus ille Pastor
Et pium patrem vigilemque matrem,
Ipse dat sese... potiora dona
Quis ferat unquam?

Arbori lex est, dominatur una:
Est homo liber, sequitur moventem
Sponte, cor durum Domino trahenti
Sponte resistit.

Robur in trunco, rabidam procellam
Vincit illaesus: fremat acer hostis,
Est amor fortis, clypeo retundit
Daemonis ictus.

Arboris trunco generantur uno
Plurimi rami: parit una mater
Caritas, plures oriuntur una
Stirpe sorores.

Fructibus rami decorantur, idem
Est color cunctis parilisque forma:
At ferunt almae vario labore
Lucra sorores.

Haec preces fundit; luit illa poenas,
Et secant pontum, gregibusque praesunt,
Imbuunt mentes, relevantve morbos,
Jura tuentur.

Sed Fide cunctae sociantur una,
Una Spes illis melioris aevi,
Impigrae semper patriae suavis
Limina quaerunt.

Arbori densae viridesque frondes,
Et velut serto redimita fulget:
Enitet virtus, decus est amori,
Mira venustas.

Poma praebentur, volucresque cantant
Et parant nidos, peregrinus umbram
Captat et frigus, fruiturque somno
Lassus eundo.

Verbo et exemplo, precibus, dolore
Caritas prodest, radiante vultu
Allicit segnes, graviora saxo
Pectora scindit.

Occidunt frondes, volucres iêre,
Quid tibi prostat nisi triste lignum?
Caritas semper viret atque fructus
Promit opimos.

Arborem sternunt caries, bipennis,
Fulgur, et nulla revocanda voce
Caeditur ferro, vorat una sectam
Torrida flamma,

Ni velit ligno faber unus uti:
Ast amor nullis terebratur annis,
Viribus crescit, domitaque morte
Vivit in aevum!

ODE XXVI.

FIDES.

Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. (Hebr. 11, 1).

Credimus, immanes sinuare volumina, diros
Per Libyae deserta dracones
Spargere virus atrox, aquilas contingere nubes,
Horrentisve cacumine rupis
Praecipites ferri, rapientibus unguibus agnos
Et rostro laniare tremendo.
Credimus, horribiles immensa mole balaenas
Oceani percurrere fluctus,
Visceribus terrae condi pretiosa metalla,
Et gemmas radiare per orbem,
Innumeros flores variis regionibus edi,
Et fulgere coloribus hortos.
Si quis Alexandrum terno certamine Persas
Subjecisse, potentibus armis
Romanos referat Teucrorum stirpe creatos
Et populos domuisse feroces
Et regum capiti priscas rapuisse coronas,
Atque virum cognomine Magnum
Germanos, Italos, Francos virtute secunda
Imperio sociasse Quiritum,
Europam turbasse diu, calcasse tyrannum,
Quem tristi dedit insula fato,
Insula quem tenuit vigili custode Britanno,
Ni simus rationis egentes,

Semper habendà fides; cœloque errare planetas,
Quos solis moderantur habenae,
Circumagi terram revolutis mensibus anni,
Et Nilum benedicere campis,
Pontique Euxini misceri fluctibus Istrum,
Aethiopum nigrescere vultus,
Effundique lacus, incingi moenibus urbes,
Ingenio junxisse potentes
Aequora bina viros sublato navibus isthmo,
Non dubii contendimus omnes...
Tolle fidem, tolluntur avi, tolluntur honores,
Nixa fide sunt stemmata regum.
Tolle fidem dapibusque vacas vinoque rubenti,
Et vitreas haurire vetaris
Fontis aquas, somnoque gravis decumbere lecto,
Atque fores penetrare domorum.
Nec tibi vellus oves, nec docti serica vermes
Fila dabunt, torpebis inerti
Frigore nudus homo, tabulis conscripta repelles
Verba miser, tibi nulla salutem
Verba ferent emissa labris, latitabis in antris,
Insidiis agitatus ubique.
Tolle fidem, jam patre cares, orbabere matre,
Fratre cares almaque sorore,
Prole cares et solus eris, teterrimus hostis
Ipse tibi moriêre tyrannus!
Una fides homines sociat, concordia felix,
Vitales dum carpimus auras,
Omnis origo boni, pariunt portenta labores,
Quae veniens mirabitur aetas.
Ecce fides hominum socialia vincula nectit,
Et fidei si vincula rumpas,
Cuncta ruunt!... Aeterna petunt oracula coeli
Jure fidem potiore, magistro

Uno effusa Deo labuntur flumina veri,
Acta probant miracula, vates!
Si verum nequeat rationis lumine pandi,
Tuta Fides bene parta recondit!

ODE XXVII.

QUERIMONIA.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.
(Job. 14, 1).

Ocyus vento jaculoque torto
Fertur aerumnis agitata vita,
Ecquis immensae truculenta lustret
Crimina turbae?

Heu Fides coelo temeratur orta,
Et sacros ludunt satyrae ministros,
Templa proculcat, pia vulgus odit
Claustra profanum.

Melleo fraudes meditantur ore,
Dives usurâ nova lucra quaerit,
Furta non horrent, sibi latro pondus
Vindicat auri.

Coeca depascit juvenes libido,
Rara custodit niveum pudorem
Virgo, flet conjux, sociale rupit
Foedus adulter.

Auri sacra fames: obolo spoliantur egeni,
    Gaza ruit — sibi lucra labore
Et Domini virtute parat mens conscia recti:
    Ac semper bene parta reservat.
Conglomerata phalanx studiis asperrima belli
    Non terret, qui poplite flexo
Tollit ad astra manus. In valle repellitur hostis,
    Dum Superos in monte fatigat
Amramides supplex, finditque precatio nubes,
    Nec solio discedit Olympi,
Ni Deus omnipotens faciles accommodet aures.
    Ore preces exercitus ingens
Fundat, ut indomitam vis tanta coërceat iram
    Divina virtute leonum.
Non dabit una merum, quae prominet uva racemo,
    Innumeras fert vinea baccas,
Sicque cados onerat spumante liquore colonus,
    Innumeros capit area culmos,
Non daret una penum quantumlibet aurea spica,
    Quum coelo demittitur imber,
Si potes, enumera guttas, quibus arva madescunt,
    Quot radiis sol igneus ardet!
Viribus unitis dabitur victoria — longo,
    Longo (inquam) certamine fessus
Victor ovat, — magni terebrantur viscera montis,
    Et portus conduntur amici,
Construiturque domus, via ferrea permeat urbes,
    Fervet opus, dant tempora finem:
Fide Deo, contende diu, praetervolet hora,
    Et faciet pax otia laeto.

ODE XXIV.

TEMPESTAS.

Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium. (Matth. 17, 20).

Vana salus hominis — quaeramus amore salutem,
    Et precibus quaeramus amorem,
Et precibus foveatur amor; caret igne lucerna,
    Quae succo viduetur olivae,
Flamma resurgit ovans infusa Pallade, noctis
    Igne novo dispellitur umbra.
Sed lucis metire gradus, nutritur olivis,
    Lux potior nutrita liquore
Petrarum, electro generata fit aemula solis,
    Ergo salus quaerenda *dolore.*
Crede mihi, frater, pariuntur gaudia fletu,
    Flet mater, sed nascitur infans,
Heroës flevêre diu, laetantur in aevum,
    Semper erit virtutis origo
Lacryma, semper erit cordis tutela fidelis.
    Ut constat, splendescere lunam,
Astra micare polo, coelum terramque moveri,
    Et nivibus turgescere montes,
Et flores varios hortis fragrantibus edi,
    Et Boreas pervertere campos,
Augeri, minui pelagus, frondescere sylvas,
    Et vermes dare serica fila...
Haud secus atroces tibi lucra tulisse dolores,
    Et mansura tulisse memento.

Non fuit ullus homo felici Virgine demta,
    Nullus homo generabitur unquam
Labe carens omni, dum vitae carpitur aura,
    Et vestis mundata lavacro
Polluitur maculis sordetque frequentibus eheu;
    Una salus in sanguine Christi!
Nulla salus miseris, ni flammis corda calescant,
    Ni lacrymae cieantur amarae.
Et renovatus homo vasto contendere campo
    Circumquaque furentibus eheu
Hostibus oppressus divina lege jubetur;
    Miles homo, discrimina belli
Multa, dabit vigili laetam victoria palmam
    Continuo parienda dolore.
Sanguine deletur teterrima culpa, sed eheu
    Poena manet delenda dolore,
Vivimus immemores poenae, praetervolat hora,
    Finis adest, delebitur olim
Carceris horrendi crepitantibus ignibus, atrox
    Poena manet, qui terga flagellis
Subtraxêre, rosas capiti sparsêre venustas —
    Poena via est, quae ducit ad astra!
Felices lacrymae, quae nunc labuntur obortae,
    Quas letum deterget euntes!
Ni fuerint comites, nisi mollia corda rigentur,
    Nulla precum fiducia, frustra
Voce fatigamus superos: praemittitur imber,
    Et locuples oratio gaudet!
Nota viris sanctis haec rara scientia dudum:
    Torquebant jejunia fauces,
Fessa brevi somno claudebant lumina, semper
    Dulce pati sapientia vitae.
Sunt binae volucri pennae, si dempseris unam,
    Tarda nequit per inane moveri:

Da precibus lacrymas, et erunt virtute potentes,
Verba rogant, et flectitur ira
Vindicis, et coelo descendunt dona secundo,
Haec animo sententia constat:
Daemonas expelli precibus junctoque dolore.
En sine pace relabitur orbis
In chaos antiquum... quis voce medebitur una
Morbis, qui grassantur ubique?
Flere lubet, lacrymasque diu lubet edere multas:
Pacatus laetabitur Orbis.

ODE XXV.

SUB ARBORE.

Beatus vir, qui timet Dominum. (Ps. 111, 1). *Erit tanquam lignum.* (Ps. 1, 3).

Arborem dico: taciturna vatem
Me docet dudum, bibo laetus almam
Aure doctrinam ferioque blandas
Pectine chordas.

Non ego nugas hominum disertas,
Non sales venor satyraeque tela,
Os loquax odi... mihi nulla ferret
Lucra salutis.

Turba stultorum graciles aristas
Laudibus tollat vacuasque nuces;
Nemini prodest viduata dulci
Amphora vino.

Arborem dico: docet en magistra
Cara tirones, Deus hanc docere
Arborem jussit, laticesque plena
Concha dat ori.

Seu rosae crescant violaeque molles,
Horreis condat segetem colonus,
Exserat pingues onerata botros
Palmite vitis;

Seu gelu montes niviumque mole
Torpeant cani... sine nube solis
Ardeant ignes, radietve coelo
Luna sereno:

Arbor haec prodest, sapientiaeque
Jussa thesauros opulenta promit,
Omnibus gazis pretiosiora
Dona magistrae.

Ecce radices agit arbor imas,
Quas humo condit: penetrale cordis
Me rapit vatem, latet heic amoris
Dives origo.

Non iners radix, operosa crescit,
Truncus assurgit, Deus exeundi
Arbori vires tribuit, fovetque
Viribus ortam.

Arbor haec lucem petit et calorem,
Aërem poscit pluviaeque guttas,
Providet custos olitorque damna
Sedulus arcet.

Excitat cordis Deus unus ignes,
Nutrit hos idem, generosus offert
Gratiae donum, calefitque sancto
Pectus amore.

Dat sacerdotes bonus ille Pastor
Et pium patrem vigilemque matrem,
Ipse dat sese... potiora dona
Quis ferat unquam?

Arbori lex est, dominatur una:
Est homo liber, sequitur moventem
Sponte, cor durum Domino trahenti
Sponte resistit.

Robur in trunco, rabidam procellam
Vincit illaesus: fremat acer hostis,
Est amor fortis, clypeo retundit
Daemonis ictus.

Arboris trunco generantur uno
Plurimi rami: parit una mater
Caritas, plures oriuntur una
Stirpe sorores.

Fructibus rami decorantur, idem
Est color cunctis parilisque forma:
At ferunt almae vario labore
Lucra sorores.

Haec preces fundit; luit illa poenas,
Et secant pontum, gregibusque praesunt,
Imbuunt mentes, relevantve morbos,
Jura tuentur.

Sed Fide cunctae sociantur una,
Una Spes illis melioris aevi,
Impigrae semper patriae suavis
Limina quaerunt.

Arbori densae viridesque frondes,
Et velut serto redimita fulget:
Enitet virtus, decus est amori,
Mira venustas.

Poma praebentur, volucresque cantant
Et parant nidos, peregrinus umbram
Captat et frigus, fruiturque somno
Lassus eundo.

Verbo et exemplo, precibus, dolore
Caritas prodest, radiante vultu
Allicit segnes, graviora saxo
Pectora scindit.

Occidunt frondes, volucres iêre,
Quid tibi prostat nisi triste lignum?
Caritas semper viret atque fructus
Promit opimos.

Arborem sternunt caries, bipennis,
Fulgur, et nulla revocanda voce
Caeditur ferro, vorat una sectam
Torrida flamma,

Ni velit ligno faber unus uti:
Ast amor nullis terebratur annis,
Viribus crescit, domitaque morte
Vivit in aevum!

ODE XXVI.

FIDES.

Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. **(Hebr. 11, 1).**

Credimus, immanes sinuare volumina, diros
Per Libyae deserta dracones
Spargere virus atrox, aquilas contingere nubes,
Horrentisve cacumine rupis
Praecipites ferri, rapientibus unguibus agnos
Et rostro laniare tremendo.
Credimus, horribiles immensa mole balaenas
Oceani percurrere fluctus,
Visceribus terrae condi pretiosa metalla,
Et gemmas radiare per orbem,
Innumeros flores variis regionibus edi,
Et fulgere coloribus hortos.
Si quis Alexandrum terno certamine Persas
Subjecisse, potentibus armis
Romanos referat Teucrorum stirpe creatos
Et populos domuisse feroces
Et regum capiti priscas rapuisse coronas,
Atque virum cognomine Magnum
Germanos, Italos, Francos virtute secunda
Imperio sociasse Quiritum,
Europam turbasse diu, calcasse tyrannum,
Quem tristi dedit insula fato,
Insula quem tenuit vigili custode Britanno,
Ni simus rationis egentes,

Semper habendà fides; cœloque errare planetas,
Quos solis moderantur habenae,
Circumagi terram revolutis mensibus anni,
Et Nilum benedicere campis,
Pontique Euxini misceri fluctibus Istrum,
Aethiopum nigrescere vultus,
Effundique lacus, incingi moenibus urbes,
Ingenio junxisse potentes
Aequora bina viros sublato navibus isthmo,
Non dubii contendimus omnes...
Tolle fidem, tolluntur avi, tolluntur honores,
Nixa fide sunt stemmata regum.
Tolle fidem dapibusque vacas vinoque rubenti,
Et vitreas haurire vetaris
Fontis aquas, somnoque gravis decumbere lecto,
Atque fores penetrare domorum.
Nec tibi vellus oves, nec docti serica vermes
Fila dabunt, torpebis inerti
Frigore nudus homo, tabulis conscripta repelles
Verba miser, tibi nulla salutem
Verba ferent emissa labris, latitabis in antris,
Insidiis agitatus ubique.
Tolle fidem, jam patre cares, orbabere matre,
Fratre cares almaque sorore,
Prole cares et solus eris, teterrimus hostis
Ipse tibi morière tyrannus!
Una fides homines sociat, concordia felix,
Vitales dum carpimus auras,
Omnis origo boni, pariunt portenta labores,
Quae veniens mirabitur aetas.
Ecce fides hominum socialia vincula nectit,
Et fidei si vincula rumpas,
Cuncta ruunt!... Aeterna petunt oracula coeli
Jure fidem potiore, magistro

Uno effusa Deo labuntur flumina veri,
    Acta probant miracula, vates!
Si verum nequeat rationis lumine pandi,
    Tuta Fides bene parta recondit!

ODE XXVII.

QUERIMONIA.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.
(Job. 14, 1).

Ocyus vento jaculoque torto
Fertur aerumnis agitata vita,
Ecquis immensae truculenta lustret
    Crimina turbae?

Heu Fides coelo temeratur orta,
Et sacros ludunt satyrae ministros,
Templa proculcat, pia vulgus odit
    Claustra profanum.

Melleo fraudes meditantur ore,
Dives usurâ nova lucra quaerit,
Furta non horrent, sibi latro pondus
    Vindicat auri.

Coeca depascit juvenes libido,
Rara custodit niveum pudorem
Virgo, flet conjux, sociale rupit
    Foedus adulter.

Lividi rodunt bene gesta dentes,
Lingua delirat calefacta vino,
Aestuant irae, metuenda jactant
Vulnera sicae.

Cuncta pessumdat solii cupido,
Arma collidunt inimica cives,
Plurimi occumbunt, bibit ampla nigrum
Terra cruorem.

Uberes eheu populantur hortos,
Fertiles campos tumidasque vites,
Et fames ardet, lacero teguntur
Corpora panno.

Arguunt pestem vidui penates,
Urbium fumant tepidae ruinae,
Exulant artes, fugiunt Lycei
Otia tuti.

Obruor luctu, reminiscor idem
Patriae dulcis, lacrymasque sisto,
Sunt breves curae, patriae manebunt
Gaudia semper.





ODE I.

AMOR.

Praebe, fili mi, cor tuum mihi. (Prov. 23, 26).

Te te, dulcis Amor semper amabilis,
Non me semper amem, deliciis scatet
Felix vita Deum semper amantium;
Auctorem, cor, ama tuum.

Acrem deme salem, non sapiunt dapes:
Si Jesus fugiat, cor miserum gelu
Horrescis rigido, ver tamen omnibus,
Nulli bruma ferox placet.

O cor, vasta tibi sunt penetralia,
Uno digna Deo, tanta palatia
Nullum replet opus... sint tibi marmore
Constructae Pario domus,

Sint vestes Tyriae, vinaque Massica:
O cor, es vacuum, si procul est Deus;
Sint panni laceri, parva mapalia,
Et fauces careant cibo:

O cor, cuncta tenes, si Deus est tibi!
En vermes terebrant poma rubentia,
Et fuco facies pallida spargitur,
(Heu spectacula tetrica)...

Quot pacem simulant, quos tamen efferum
Bellum discruciat! Cor picea diu
Tempestate vagum nullibi nullibi
Portus invenis otia,

Ni Jesus redeat! Cerne trabem crucis,
Heic heic necte moras, continuas (rogo),
Rauci quaeso fori murmura despice,
Has semper latebras ama.

ODE II.

TRISTIS.

Delectatus sum. (Ps. 76, 4).

Eja laetemur, nocet iste luctus,
An diu flendo relevatur aeger?
Heu viatores, licet ingemiscant,
Sarcina torquet.

Sunt bonis eheu mala mixta semper,
Hac sumus nati genus omne sorte,
Semper est passum, patietur eheu
Semper ubique.

Ecce germanum probat ignis aurum,
Et rubet multis rosa cincta spinis,
Alta nequidquam rabie procellae
Tunditur ilex.

Innocens non sum, sua quemque vexat
Culpa mortalem, subeunda nobis
Poena delicti, medicina morbum
Tollit amara.

En jugo pressi graviore languent
Plurimi fratres, decet esse fortem
Me sacerdotem, pia verba semper
Facta sequantur.

Christus inmanes adiit dolores,
Non ero tiro potior magistro,
Ad fores coeli via nos ituros
Aspera ducit.

ODE III.

SERMO SACER.

Sufficientia nostra ex Deo est. (2 Cor. 3, 5).

Clangit nola, vocor... tu benedic mihi,
Jesu Christe! tuam sollicitus crucem
Amplector, radios mitte (precor) tuos,
Qui pellant tenebras meas.

Indigno famulo da sapientiam,
Ni vires acuas, pondere deprimor,
Ut fratres doceam, me doceam prius,
Nam coecum fugiunt ducem.

Ne laudes cupiam, sum minimus, cave,
Ne multus videar mole scientiae,
Sunt guttae pelagi, quae didici, ruunt
Duris parta laboribus.

Solers lucra parem, meta mihi salus
Dilecti populi, ne feriam (precor)
Aures, cor penetrem, fervidus eloquar
Sanctae prodigium crucis.

Veri semper amans, criminis integer
Spargam vera lubens, crimina conteram,
Quî morbos abigam, si jaceam miser?
An carnes fatuo sale

Condimus? Latices concha prius bibit,
Plena effundit aquas, et docet et facit
Verbi praeco tui, sim veluti faces,
Dum flammâ radiant, calent.

Non utar tumido, non tenui stylo,
Multis pauca dabo, non nova sed nove;
Jesu, corda moves, fac tibi concinant
Laudis continuum melos.

ODE IV.

MORS.

Statutum est hominibus semel mori. (Hebr. 9, 27).

Dum vos intueor, busta silentia,
Labuntur lacrymae, flebilis heu subit
Patris culpa vetus, quae miseris obest
Tristi sorte nepotibus.

Livens invidiâ proditor angelus
Eduxit tenebris funera, diffugit
Vitae tempus edax, irrevocabili
Fato praetereunt dies.

Arcemus calidis frigora vestibus,
Jejunique cibis pocula jungimus,
Praebent tecta domus, celsa palatia,
    Fessi lumina claudimus:

Vestes, tecta, dapes et sopor arma sunt,
Fervent continui proelia funeris,
Omnes impavidi congredimur diu:
    Tandem membra quatit dolor,

In vultu macies, et tremulae manus,
Frontem sudor habet, sunt cava tempora,
Pendent labra, oculus lucidior vitro,
    Et torpent gelidi pedes.

Flent, rident... morimur, nola ciet sonos,
Vestimur rigidi, ponimur in toro,
Spectamur taciti, pondus equi trahunt,
    Udo condimur aggere.

ODE V.

RESTAURATIO.

Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. (Rom. 6, 23).

Terra ancilla hominis, servus homo Dei,
Terrae rex sit homo, rex hominis Deus!
Quid tanto imperio magnificentius?
    Quid sublimius hoc jugo?

Sed Fide cunctae sociantur una,
Una Spes illis melioris aevi,
Impigrae semper patriae suavis
Limina quaerunt.

Arbori densae viridesque frondes,
Et velut serto redimita fulget:
Enitet virtus, decus est amori,
Mira venustas.

Poma praebentur, volucresque cantant
Et parant nidos, peregrinus umbram
Captat et frigus, fruiturque somno
Lassus eundo.

Verbo et exemplo, precibus, dolore
Caritas prodest, radiante vultu
Allicit segnes, graviora saxo
Pectora scindit.

Occidunt frondes, volucres iêre,
Quid tibi prostat nisi triste lignum?
Caritas semper viret atque fructus
Promit opimos.

Arborem sternunt caries, bipennis,
Fulgur, et nulla revocanda voce
Caeditur ferro, vorat una sectam
Torrida flamma,

Ni velit ligno faber unus uti:
Ast amor nullis terebratur annis,
Viribus crescit, domitaque morte
Vivit in aevum!

ODE XXVI.

FIDES.

Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. (Hebr. 11, 1).

Credimus, immanes sinuare volumina, diros
Per Libyae deserta dracones
Spargere virus atrox, aquilas contingere nubes,
Horrentisve cacumine rupis
Praecipites ferri, rapientibus unguibus agnos
Et rostro laniare tremendo.
Credimus, horribiles immensa mole balaenas
Oceani percurrere fluctus,
Visceribus terrae condi pretiosa metalla,
Et gemmas radiare per orbem,
Innumeros flores variis regionibus edi,
Et fulgere coloribus hortos.
Si quis Alexandrum terno certamine Persas
Subjecisse, potentibus armis
Romanos referat Teucrorum stirpe creatos
Et populos domuisse feroces
Et regum capiti priscas rapuisse coronas,
Atque virum cognomine Magnum
Germanos, Italos, Francos virtute secunda
Imperio sociasse Quiritum,
Europam turbasse diu, calcasse tyrannum,
Quem tristi dedit insula fato,
Insula quem tenuit vigili custode Britanno,
Ni simus rationis egentes,

Semper habenda fides; cœloque errare planetas,
Quos solis moderantur habenae,
Circumagi terram revolutis mensibus anni,
Et Nilum benedicere campis,
Pontique Euxini misceri fluctibus Istrum,
Aethiopum nigrescere vultus,
Effundique lacus, incingi moenibus urbes,
Ingenio junxisse potentes
Aequora bina viros sublato navibus isthmo,
Non dubii contendimus omnes...
Tolle fidem, tolluntur avi, tolluntur honores,
Nixa fide sunt stemmata regum.
Tolle fidem dapibusque vacas vinoque rubenti,
Et vitreas haurire vetaris
Fontis aquas, somnoque gravis decumbere lecto,
Atque fores penetrare domorum.
Nec tibi vellus oves, nec docti serica vermes
Fila dabunt, torpebis inerti
Frigore nudus homo, tabulis conscripta repelles
Verba miser, tibi nulla salutem
Verba ferent emissa labris, latitabis in antris,
Insidiis agitatus ubique.
Tolle fidem, jam patre cares, orbabere matre,
Fratre cares almaque sorore,
Prole cares et solus eris, teterrimus hostis
Ipse tibi moriêre tyrannus!
Una fides homines sociat, concordia felix,
Vitales dum carpimus auras,
Omnis origo boni, pariunt portenta labores,
Quae veniens mirabitur aetas.
Ecce fides hominum socialia vincula nectit,
Et fidei si vincula rumpas,
Cuncta ruunt!... Aeterna petunt oracula coeli
Jure fidem potiore, magistro

Uno effusa Deo labuntur flumina veri,
    Acta probant miracula, vates!
Si verum nequeat rationis lumine pandi,
    Tuta Fides bene parta recondit!

ODE XXVII.

QUERIMONIA.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.
(Job. 14, 1).

Ocyus vento jaculoque torto
Fertur aerumnis agitata vita,
Ecquis immensae truculenta lustret
    Crimina turbae?

Heu Fides coelo temeratur orta,
Et sacros ludunt satyrae ministros,
Templa proculcat, pia vulgus odit
    Claustra profanum.

Melleo fraudes meditantur ore,
Dives usurâ nova lucra quaerit,
Furta non horrent, sibi latro pondus
    Vindicat auri.

Coeca depascit juvenes libido,
Rara custodit niveum pudorem
Virgo, flet conjux, sociale rupit
    Foedus adulter.

Lividi rodunt bene gesta dentes,
Lingua delirat calefacta vino,
Aestuant irae, metuenda jactant
Vulnera sicae.

Cuncta pessumdat solii cupido,
Arma collidunt inimica cives,
Plurimi occumbunt, bibit ampla nigrum
Terra cruorem.

Uberes eheu populantur hortos,
Fertiles campos tumidasque vites,
Et fames ardet, lacero teguntur
Corpora panno.

Arguunt pestem vidui penates,
Urbium fumant tepidae ruinae,
Exulant artes, fugiunt Lycei
Otia tuti.

Obruor luctu, reminiscor idem
Patriae dulcis, lacrymasque sisto,
Sunt breves curae, patriae manebunt
Gaudia semper.

ODE I.

AMOR.

Praebe, fili mi, cor tuum mihi. (Prov. 23, 26).

Te te, dulcis Amor semper amabilis,
Non me semper amem, deliciis scatet
Felix vita Deum semper amantium;
Auctorem, cor, ama tuum.

Acrem deme salem, non sapiunt dapes:
Si Jesus fugiat, cor miserum gelu
Horrescis rigido, ver tamen omnibus,
Nulli bruma ferox placet.

O cor, vasta tibi sunt penetralia,
Uno digna Deo, tanta palatia
Nullum replet opus... sint tibi marmore
Constructae Pario domus,

Sint vestes Tyriae, vinaque Massica:
O cor, es vacuum, si procul est Deus;
Sint panni laceri, parva mapalia,
Et fauces careant cibo:

Orta Fides coelo magni facienda, beatus,
    Qui comitem veneratur iturus!
Accedunt pelagi fluctus, iterumque recedunt:
    Est Fidei revocabile donum!
Gentibus offertur, quod gens electa recusat,
    Atque Arabes victricibus armis
Eripuê crucem variis regionibus orbis!
    Haecce Dei metuenda flagella,
Haecce, Europa! cave — Superis carissima quondam!
    Ni sapias, simulacra redibunt.
Pejor eris proavis, barathro mergêre profundo:
    En proavi simulacra colebant —
Nunc Ratio Dea, numen Homo! Sapientibus eheu
    Tanta placet dementia nostris.
Sint nobis pretiosa crucis vexilla, triumphi
    Laus nullo delebitur aevo!
Hacce Fide pariatur amor: placabitur Agnus,
    Et regum gravis ira quiescet!

ODE XXIII.

TEMPESTAS.

Oratio humiliantis se nubes penetrabit... et non discedet, donec Altissimus aspiciat. (Eccli. 35, 21).

Est *precibus* quaerenda salus! Glomerantur ubique
    Tartareo stimulante dracone
Hostiles turmae, replent clamoribus auras,
    Accurrunt crepitantibus armis,
Caede calent, vultusque ferox, exercitus ingens —
    Turpe fugâ dare terga per agros,

Nos vexilla vocant Christi rubicunda cruore,
    Stant acies, discrimina belli
Exacuant animos, mediosque ruamus in hostes,
    Fulmineo mucrone potentes!
Unde salus pugnae? Non ferro vincimus, uno
    Laeta oritur victoria coelo!
Quis vires tribuit certantibus ingeniumque?
    Telorum quis roborat ictus?
Est Deus omnipotens, qui condidit omnia verbo,
    Est idem, qui pulveris instar
Terribiles hostes in partes dissipat omnes; —
    En fundâ puer atque lapillis
Continuo stravit metuendum corpore monstrum...
    Laeta oritur victoria coelo!
Fundamenta loca, sectoque palatia saxo
    Structa leves tollantur in auras:
Ni Deus affuerit, succrescunt vortice flammae,
    Terra tremit... ruit ardua moles.
Da pelago naves, exerce vomere glebas,
    Prome gravi medicamina morbo,
Raucum quaere forum facundo maximus ore,
    Et vultus imitetur imago,
Assiduis manibus pretiosa volumina versa,
    Et nummi sudore parentur,
Fer populo leges, ito mercator ad Indos,
    Tironum cor finge magister —
Virtuti ne fide tuae, virtutis origo
    In coelo quaerenda! Memento
Petri, qui laceras sarcivit vimine nassas:
    Retia tota nocte tetendit
Piscibus, at pelago semper latuêre profundo;
    Insidias iterare jubetur,
Protinus en binae replentur pondere naves.
    Divitias sine numine quaerit

Solers lucra parem, meta mihi salus
Dilecti populi, ne feriam (precor)
Aures, cor penetrem, fervidus eloquar
    Sanctae prodigium crucis.

Veri semper amans, criminis integer
Spargam vera lubens, crimina conteram,
Quî morbos abigam, si jaceam miser?
    An carnes fatuo sale

Condimus? Latices concha prius bibit,
Plena effundit aquas, et docet et facit
Verbi praeco tui, sim veluti faces,
    Dum flammâ radiant, calent.

Non utar tumido, non tenui stylo,
Multis pauca dabo, non nova sed nove;
Jesu, corda moves, fac tibi concinant
    Laudis continuum melos.

ODE IV.

MORS.

Statutum est hominibus semel mori. (Hebr. 9, 27).

Dum vos intueor, busta silentia,
Labuntur lacrymae, flebilis heu subit
Patris culpa vetus, quae miseris obest
    Tristi sorte nepotibus.

Livens invidiâ proditor angelus
Eduxit tenebris funera, diffugit
Vitae tempus edax, irrevocabili
    Fato praetereunt dies.

Arcemus calidis frigora vestibus,
Jejunique cibis pocula jungimus,
Praebent tecta domus, celsa palatia,
Fessi lumina claudimus:

Vestes, tecta, dapes et sopor arma sunt,
Fervent continui proelia funeris,
Omnes impavidi congredimur diu:
Tandem membra quatit dolor,

In vultu macies, et tremulae manus,
Frontem sudor habet, sunt cava tempora,
Pendent labra, oculus lucidior vitro,
Et torpent gelidi pedes.

Flent, rident... morimur, nola ciet sonos,
Vestimur rigidi, ponimur in toro,
Spectamur taciti, pondus equi trahunt,
Udo condimur aggere.

ODE V.

RESTAURATIO.

Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro. (Rom. 6, 23).

Terra ancilla hominis, servus homo Dei,
Terrae rex sit homo, rex hominis Deus!
Quid tanto imperio magnificentius?
Quid sublimius hoc jugo?

Hoc jungi voluit condita vinculo
Patri Flàmen Amor! Vincula dulcia!
Pax terrae ac homini! pax homini ac Deo!
O dulcissima vincula!

Factus consilio numinis integer
Idem primus homo debuit integer
Extemplo *fieri* consilio suo;
"Sum factus, fieri volo!,,

Est hic sermo potens... poscit opus Dei
Libertatis opus! poma vetat Deus
Tentatusque cadit primus homo vafri
Deceptus colubri dolo.

Turbantur radii crimine, circuli
Felix ordo ruit, classica perstrepunt:
Armis numen homo, terra hominem petit...
O spectacula tristia!

Cur nectuntur adhuc corpora, spiritus?
Mortem non sequitur mors? (fore vindicem
Hanc dixit sceleris *praecipitem* Deus)...
Haec stipendia nonnisi

Sunt *dilata*, *manent* una homines *cruce:*
Quos solo imperio condiderat Deus,
Nunc idem Dominus denuo condidit
Ingenti merito crucis.

"Pax terrae ac homini, pax homini ac Deo!,,
Non mutabit homo consilium Dei!
Hinc tolli merito crimen oportuit,
Agni sanguine dilui;

Hinc nondum moriens primus homo novi
Auctor fit generis, Filius ut Dei
Nasci possit homo. Quis sapientiae
Tantum prodigium capit?

Eheu culpa vetus polluit hoc genus...
Arbos una sumus! polluit attamen,
Ut mundetur idem; damna prior tulit,
Alter lucra dedit parens.

Divini pretio sanguinis omnia
Tolli posse hominum crimina novimus,
Natos lympha lavat, continuoque dat
Vitam dextera judicis.

Surrexit Dominus, perdomuit trucem
Mortem victor ovans! mors tamen omnium
Pulsat certa fores; falce potens cito
Praedam restituet suam.

Mortales patimur, sunt mala plurima
Ultricis radii mortis, aranea
Haec tendit laqueos... proelia scilicet
Sunt miscenda ferocia,

Poena est flagitiis debita multiplex,
Certando acuitur tardus acinaces,
Victoris capiti serta rubentia
Dat victoria nobilis.

Condit terra sinu corpora putrida,
Donec sit generi finis, at ultimo
Restaurata sono corpora buccina
Reddet spiritibus, dein

Haec tellus homini serviet et Deo
Immortalis homo, saecula tunc erunt,
Quae nondum fuerant, aurea, saecula
Non lapsura, perennia.

ODE VI.

MONITA.

Fuge peccata. (Eccli. 21, 2).

Eheu desipimus... damna pecuniae
Lugemus miseri, dedecoris notam
Aspersam querimur, strata cadavera
Deplorant vidui lares,

Funduntur lacrymae flumine praepete,
Ponit sera modum tristitiae dies:
Virtutem vitio pellimus efferi...
Et rident hilares genae!!

Anni diffugiunt irrevocabiles,
Coeci diligimus ferrea vincula,
Horremus gelidi, cor adamantinum
Nullis rumpitur ictibus!!

Si pallet facies, protinus advolant
Sexcenti medici... vulnera pectoris
Heu despecta jacent, ecce putrescimus,
Nares illuviem probant.

Urgent innumerae sollicitudines,
Qui longum pedibus corripiunt iter...
Mors est certa viae meta celerrimae,
Torpent desidiâ manus!!

Se non dilaniat bellua dentibus...
In se crudus homo saepius irruit,
Nam qui cum Superis congreditur, suum
Ferro transadigit latus!

Pulchris poma rubent sparsa coloribus...
Sed vermis terebrat viscera luridus:
Fulgent busta gravi marmore, continent
Tabo foeda cadavera.

Auro sculpta riget litera splendido,
Heu mendax operis nuntia, nunc fragor
Vitae conticuit, nunc ululatibus
Late Tartarus insonat!

Sontes poena manet, poena gravissima,
Aeterno barathro conditur impius,
Illudunt misero daemones efferi,
Coeli carmina concinunt.

ODE VII.

IN HERODEM.

Decollavit Joannem in carcere. (Matth. 14, 10).

Num te tyrannum, dedecus horridum,
Immanis eheu progenuit leo,
An vagientem lacte multo
Terribiles aluêre tigres?

O qui beatum continuae neci
Vatem dedisses impatiens morae,
Ni crimen avertisset ingens
Dente minax gravis ira vulgi...

An non hiatus numine vindice
Terrae timebas telaque fulminis,
Quum traderes vinctum catenis
Carceribus reus innocentem?

Non non timebas... nullus inest metus
Poenae tyrannis, nec scelerum pudor,
Insanientis cuncta coeli
Transiliunt hominumque jura.

Miscentur undis arva tumentibus:
Truduntur eheu crimina crimine,
Cordique loricam rigentem
Circumagunt tenebrasque menti.

Elata fastu vilis adultera
Vesana torquet lumina flammea,
Vatisque censet non probantis
Turpe nefas ferienda colla...

Heu tü petentis vocibus annuis,
Nec vota damnas! Scilicet hoc fides
Jurata deposcit puellae,
Quae choreas agit impudica!

I, lictor, atras pande fores cito,
Mucrone stricto caede sacrum caput
Insontis, ac trunco relicto
Huic faciem superradde lanci.

Pota rubentem, bellua, sanguinem,
Largo rubentem flumine sanguinem
Herois, humanaque foedis
Cum sociis epulare carne.

Allata rictu fercula devora,
Crudelitati debita fercula,
    Hoc imbre laetantur feroces,
        His inhiant dapibus tyranni!

Sed tendet atrox insidias nepos,
Regno paterno te dabit exulem
    Romanus, augebisque fletu
        (Crede mihi) Rhodani fluenta,

Lustrabis agros hospes Iberiae,
Aerumna franget te profugum comes,
    Judex sedebit, cui Joannes
        Stravit iter, Deus Agnus ipse.

ODE VIII.

OCULI.

Emitte lucem tuam et veritatem tuam. (Ps. 42, 3).

Dat nobis oculos omnipotens Deus,
Quo non est melior, non sapientior...
Parvi sunt oculi, prodigium Dei
    Experti medici stupent.

Si tollas oculos, nulla dies nitet,
Et nox squalet iners, heu miseri manu
Praetentamus iter, ni comes impiger
    Incertos moveat pedes.

Heu fiunt minimi lumina, quae valent,
Et grando segetum, flamma vorax domus,
Latro saevus opum, trux pecudum lupus
    Virtutem ac pretium probant.

Et cassi merito lumine plectimur...
Quidquid vasta poli regia continet,
Quidquid terra sinu continet ubere,
Felices oculi vident;

Sed, qui fecit opus, lumina non vident...
"Aeternis atomis mundus originem
Debet fortuitam!", sesquipedalibus
Verbis haec fatui docent.

Pictorem tabulae protinus innuunt,
Sculptorem statuae, docta volumina
Auctorem, arma, rates, vasa, palatia
Produnt ingenium fabri.

Et procera Dei praebet imaginem
Arbor, praebet avis dulce canens melos,
Bombyx ore vomens fila tenacia,
Tradens mella favis apes;

Praebet vini acidi gutta, animalculis
Quae semper minimis affluit, horrido
Immensum pelagus turbine saeviens,
Condens monstra natantia.

Et coeli piceis nubibus obsiti,
Et flammis trifidis tela ruentia,
Quae late reboant, rauca tonitrua,
Omnes esse Deum docent.

Nequidquam miserae laude scientiae
Nequidquam erigeris, stulta superbia,
Ignes tu fatuos promis inhospitis
Delectata paludibus.

Permultos coluit Roma Quiritibus
Olim clara Deos, censuit attamen,
Se subdi Superis: at sapientia
Heu nulli Domino subest.

Unum tolle Deum juris originem,
Idem continuo legis originem
Tollis, jure homines, lege homines carent,
Supremus sibi quisque rex.

Unum tolle Deum, fulgura vindicis
Sontes non metuunt, nemo laboribus
Mercedem tribuit, nemo gementibus
Dat solatia tristibus.

Fundamenta ruunt, omnia vincula
Solvuntur, miseris fortior imperat,
Corraduntur opes non sine crimine,
Cunctis una placet Venus.

Sparsum terra bibet foetida sanguinem,
Ardebuntque domus... gentibus, o Deus,
Lucem redde crucis; regibus, o Deus,
Lucem da sapientiae.

ODE IX.

AD VALENTEM COECUM.

Coeci vident. (Matth. 11, 5).

Noli flere, Valens, sunt oculi quidem
Clausi voce Dei... quis tamen improbet,
Quae fecit Dominus? Redde oculos Deo,
Noli fundere lacrymas.

En sunt dona Dei, redde oculos Deo,
Inquam, redde lubens, ecce dolor nocet,
Nec lucem revocat; lucra paras tibi,
Si durum subeas jugum.

Reddunt sana Deo corpora Martyres,
Dum flammae cruciant, et gladii furunt...
A te tortor abest, et minimam Deus
Partem corporis abstulit.

Languentes oculos immoriens cruci
Occlusit Dominus, tergora fustibus,
Frontem, bina dedit tempora, verticem
Eheu sentibus horridis.

Si velles memori corde revolvere
Agni terrificum supplicium, Valens,
Frater... nonne rosis mollibus incubas?
Te mulcent Zephyri leves?

Sunt panni laceri, stramineae casae
Multis pauperibus, dira fames diu
Fauces exagitat: vellera, fercula
Et conclavia sunt tibi.

Unum, quem genuit, Thariades pater
Aris imposuit, pectore saucio
Extemplo gladium strinxit: et ecce tu
Heu donum retines leve.

En, dum rauca sonant classica, milites
Concurrunt pugiles, strata cadavera,
Truncatique pedes et mutilae manus
Virtutis celebrant decus.

Est ignavus amor, sunt steriles preces,
Ni jungatur opus; fortis amor sibi
Angores animi continuo petit
    Aerumnasque gravissimas.

Quis nostrum sceleris purus et integer
Est culpae? Trutinâ corda librat Deus,
Sontes poena manet... quisquis amat Deum,
    Poenam non refugit suam.

Et fit poena gravis, si vitium grave,
Et fit poena gravis, si vitium frequens...
Et si crescit amor, fit levius jugum,
    Atque aerumna suavior.

Nos aerumna docet, si dociles sumus,
Esse ingens pretium temporis heu brevis,
Lapsos esse dies irrevocabiles,
    Terrae dona fugacia.

Haec si tanta vides lumina, num tibi
Coeci sunt oculi? Tu radios bibis!
Non praepono tuis lumina Davidis
    Occidentis, adulteri...

Te Romana Fides sole potentior,
Qua fulsit puero, luce virum fovet;
Fortunate Valens, lux populis tua
    Non est orta videntibus!

Fortunate Valens! Una salus pati!
Tobiae similis nocte probaberis,
Almam victor ovans lucis originem
    Contemplaberis integer.

ODE X.

SOMNUS.

Vigilavi. (Ps. 101, 8). *Noli diligere somnum.* (Prov. 20, 13).

Somne! virtutis soboles, levamen
Dulce curarum, domitor laborum,
Virium custos, placidae quietis
Nate paterque!

Fluctibus mersus pelagi profundi
Sol abest dudum, radiis amica
Luna jam splendet rutilâque fulgent
Sidera luce.

Me tamen lecto fugis incubantem,
Dure! nequidquam tua dona quaero,
Tristor infelix, subeuntque longae
Taedia noctis.

Non inaccessis domibus recondor,
Hospes urbanus toties adibas
Limen, exstincto tibi cessit igne,
Somne, lucerna.

An gravis turbo feriit papaver?
Sed tot effusae cecidêre fessis
Artubus gentes, sopiantur eja
Lumina vatis!

Ossa non torquet malesanus ardor,
Et cibo parco stomachum refeci,
Lectus est mollis, radiansque sol an
Lumina clausit?

Corda non torpent stupefacta libris,
Corda non languent terebrata curis,
Somne, non rodit mea corda rostro
Vultur adunco.

En fores portae sera tuta munit,
Nulla gliscentis metuo favillae
Damna, non clamat chorus ebriorum
Compita lustrans.

Tot precor votis ades, o sodalis
Care, jam nexas tibi tendo palmas,
Spes mihi ridet, pretiosa strato
Porrige dona.

Haurio cribro latices, et aure
Irritum carmen bibo... trux sodalis,
Pectus induras... meliora discens
Munera quaeram.

Sunt precum nobis potiora lucra...
Terga da, noctis lacrymosa proles,
Pestis immanis, metuenda saevae
Mortis imago!

Tu cies turmas inopum, juventae
Atteris vires, facienda tollis
Lucra virtuti fatuique culpam
Desidis auges!

Tu juvas fures, acuisque sicas,
Pabulo fluctus alis et favillas,
Ac repentina perimis jacentem
Falce scelestum.

ODE XI.

PARASCEVE.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. (1 Joa. 4, 19).

Pallescit facies, victor obis Deus,
Serpentis tumidum calce premis caput,
Coeli porta patet; laetitia fruor,
Ulnas circumago cruci.

Salve, festa dies, ore pio sacer
Te vates cecinit, nunc quoque te canunt,
Quos afflat Boreas, Eurus et Africus,
Demulcetque Favonius.

Fructus magnifica pendet in arbore,
Languorem reparans, quem vetus intulit;
Fortunata veni, gens hominum, cita
Gratum carpe cibum manu.

Heu vanis ferio vocibus aëra,
Arbos opprobrio vertitur inclyta,
Arbos una salus, insipientium
Semper ludibriis patet.

Tu dudum innumeris icta securibus
Dudum strata fores, crux venerabilis,
Ni rerum Dominus frangeret hostium
Custos pervigil impetum.

Ter sex mundus agit saecula, nec tamen
Jacobo geniti te lacrymis rigant,
Exsul turba sedet, supplicium gravis
    Ignorat sceleris sui.

Quot mercator Arabs imperio tenet
Deceptos populos! Quanta tibi diu
Fallax bella movet! Collis amabilis,
    Cui te victor ovans dedit

Ex torva reducem Perside, nunc gemit
Calcatus pedibus semper atrocibus,
Pugnarunt proavi... condit acinacem
    Vaginâ timidus nepos.

Circumquaque miser lumina torqueo...
Eheu ficta colunt numina barbari;
Quas fecêre, timent effigies, opus
    Laudant, quos opifex latet.

Qui te suscipiunt, o quot inanibus
Te nugis maculant ingenii sui!
An stellas memori mente recenseam?
    Annales referunt mihi

Errorum furias innumerabiles,
Quas mater peperit foeta superbia;...
Incorrupta places heu tenui choro,
    Invitus fateor malum.

In te pendet Amor, cor aperit suum,
Inclinat faciem, brachia porrigit...
Quis te non redamet?... pectora plurima
    Alpina glacie rigent!

Cognoscit medicum saepe leo suum,
Blanditur domino sollicitus canis,
Vah trux unus homo rex animantium
Par est cautibus horridis.

En cum lacte puer jam vitium bibit,
Volvuntur juvenes flagitio suo,
Est vir sacrilegi criminis artifex,
Sordent indociles senes.

Finem pone malis, crux, vehementibus,
Mentes subde jugo, fulmine contere
Cautes; donec eunt tempora, naufragum
Portu conde genus bono.

ODE XII.

MARTYRES.

Et vidi sedes... et animas decollatorum propter testimonium Jesu. (Apoc. 20, 4).

Laudo, qui in tabula pingit imaginem
Naturae sapiens aemulus inclytam,
Et qui fingit opus marmoreum manu
Scalpro dans animam suo.

Laudo, qui feriens pectine barbiton
Docta voce canit carmen amabile,
Nec non eloquio fulmineo potens
Rumpit corda adamantina.

Laudo, qui subigit saevitia truces
Morbos indomita vi medicaminum,
Et qui difficiles jura fori sciens
Causas victor ovans agit.

Laudo, qui vigili lumine sedulus
Investigat iter nobile siderum,
Et qui continuo numinis et suam
    Et rerum aestimat indolem.

At quis magnificis laudibus evehat
Effuso impavidos sanguine martyres?
Salve, sancta cohors, quae tibi milites
    Semper consocias novos!

Te sincera Fides excitat, et movet
Spes jucunda, trahit fervida caritas.
Tantis praesidiis incolumis fera
    Orci proelia despicis.

Infantes, juvenes, agmina virginum,
Matronae, viduae, magnanimi viri,
Languentesque senes... non sine lacrimis
    Vos admiror euntibus.

Quot frondes nemori, granaque messibus,
Baccae palmitibus, frigoribus nives:
Tot nectunt celebres serta virentia
    Circum tempora milites.

Tigres, tela, rogi, flumina, verbera,
Mucrones, laquei, saxa, fames, cruces...
Haec vos arma petunt, quos juvat emori
    Inter dulcia carmina.

Nunc vos perpetuis urbs Hierusalem
Fortunata capit sedibus, et quies
Incumbit pelago, dives opum ratis
    Portus otia diligit.

Sed non dividimur, qui socii sumus,
Unius soboles una sumus Patris...
Gaudemus, quotiescumque dies redit,
Quae vos in patriam tulit.

Et vestro genitrix nomine nos vocat,
Dum primo Domini fonte renascimur,
Vobis templa damus, thura calentia,
Aras, iconas et faces;

Conduntur tumulis integra corpora,
Collapsi cineres; quid pretiosius
His fratrum spoliis? Vos citharae colunt,
Solemnes adeunt preces.

Eheu rauca diu classica perstrepunt,
Hostes innumeri cominus irruunt...
Fratres, congredimur, jungite proelia,
Et victoria nos manet.

ODE XIII.

POENITENTIA.

Castigo corpus meum. (1 Cor. 9, 27).

Vitam segnis ago, pace lubet frui,
Odi bella miser, culpa coinquinat,
Et me poena manet, sum tamen immemor
Virgae, parco mihi diu.

Jam dudum sedeo, surgere me juvat,
Sed nondum valeo viribus, et cado,
Turpes damno moras, erige me, Deus,
Ut velocies ambulem.

O Jesu, quoties intueor crucem,
Extemplo toties pectore nobilis
Effervescit amor... corripior gelu,
Quum primum refero pedes.

Si tinctos memoro sanguine martyres,
Horum stipo latus, me lubet emori...
Pungit spina manum, flebilis haereo,
Irascorque doloribus.

Haec fiunt minimi vota, quibus bonum
Non succedit opus! Tantane censeam
Cunctando minui debita? Copia
Semper tollitur altius

Quavis aucta die; stultitiae pudet
Me tantae! Levius nunc patior malum,
Donec vita manet, durius increpor
Leto raptus in ignibus.

Lapsu continuo vita fugit mea,
Nunquam lapsa redit! Si morior brevi,
Si nunc membra rigent... num mihi protinus
Coeli panditur ostium?

Segni sero patet!... nunc volo, mi Deus,
Quod nondum volui, consilio fave;
Tot fratres memini, quos docuit pati,
Jesu, fortis amor tui;

Et flevêre piis crimina lacrymis,
Et flevêre diu... sancta cohors, ave;
Haec me exempla trahunt, gaudia plurimis
Sunt jungenda doloribus.

Ad caram patriam sentibus horridum
Me perducat iter, sint laceri pedes,
Est aerumna brevis, vulneris immemor
Aeterno potiar Deo.

ODE XIV.

COELUM.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. (Apoc. 2, 10).

O domus cari pretiosa patris,
Me tuis olim fore sempiternum
Sedibus civem memini beatus
Filius haeres.

Laetus exsulto, rapior per auras;
Deprimit pennas timor, heu repente
Saepe frigescunt, viduata squalent
Corda calore.

Falce prostrati moriuntur omnes,
Fata permultos inopina tollunt,
Si tuum, judex, vocor ad tribunal
Crimine torpens?!

Hanc, Deus, mortem meditantis ecce
Occupat pallor truculentus ora,
Stant comae, it sudor gelidus, tremiscunt
Languida membra.

Tempera durae, lyra moesta, voci,
Et fides pulsa meliore plectro,
Est Deus clemens, bonus ille pastor
Consulit agno,

Sanguinem fudit pretium salutis!
Terga det miles, Deus imperator
Semper exspectat reducem trisulca
Fulmina ponens.

Vi trahit segnem, teneroque corde
Parcit ignavo, veniamque praebet,
Atque vexilli memorem lacerto
Stringit amico.

Unus ultricem vereatur iram
Pertinax miles, scelerisque poenas
Unus injecta luet obstinatus
Glande satelles.

Dux, fugam damno, retinet suave
Me sacramentum, sequor en fidelis
Tiro, mi Jesu, tua castra totus
Semper ubique.

Quem sequar felix nisi te redemtor?
En crucis signo cecidisse novi
Regna serpentis, simul esse rupta
Vincula nostra.

Non mihi, Jesu, nova vincla necto,
Cara libertas erit una semper,
Irruant hostes, violenta scuto
Tela retundo.

Non diu fervet furibunda pugna,
Lustra labuntur, taciturna victor
Arma suspendo, redimita fulgent
Tempora lauro.

ODE XV.

PATIENTIA.

Servum autem Domini — oportet — esse — patientem. (2 Tim. 2, 24).

Ad quem confugiam tristis? Ubi moras
Nectam, qui patior? Quo validâ rates
Tempestate voluta
Portu suscipitur bono?

O te, praesidium et dulce decum meum,
Te, mi Christe, peto, te meditor, Deus,
Festinisque lacertis
Caram stringo crucem tuam.

Ut nubes Aquilo dissipat, haec cito
Trabs acrem timidi moestitiam levat,
Hic, qui pendet, egeno
Fert solatia dulcia.

Te passum memini, mi Deus, heu diu
Te passum memini, ligneus hic liber,
Non praestare magistro
Vilem discipulum, monet.

O Jesu, patiar... sunt (fateor) mala
Haec collata tuis parva, diu pati
Nos peccantis Adami
Natos semper oportuit.

Non, non sum melior fratribus, hic docet
Me rerum fragilem luctus imaginem,
Hacce movemur ad astra
Una difficili via.

Tu solus sapiens imperio regis
Orbem continuo, te duce me juvat
Nunc pugnare secunda
Fortem proelia militem.

Est ignavus amor, qui cubat in rosis,
Spinas ingenuus quaerit amor tui,
Si certabo, coronam
Victoris capiti dabis.

ODE XVI.

TEMPESTAS.

Intonuit de coelo Dominus. (Ps. 17, 14).

Squalet sol picea nube reconditus,
Truduntur celeri fulgura fulgure,
Mugitu reboant horrifico poli,
Imbres praecipites ruunt.

Auras bruma tenet, flumina litore
Labuntur tumido, proelia conserunt
Venti, terribili tunditur impetu
Quercus, diffugiunt ferae.

Omnes in domibus continuo latent
Mortales tremuli, solliciti preces
Attentas iterant, ancipites sedent,
Ingens corda quatit pavor.

Majestate tua quae potior Deus?
Tu rerum Dominus, subjicimur tuo
Nos cuncti imperio, perdimur illico,
Si nos turbine straveris.

Nunc legem memini, quam lapidi tuus
Incidit digitus, quum foret in jugo
Supplex Amramides, anxius ad pedes
Adstaret populus tuus.

Hanc legem veterem cordibus omnium
Incisam memini, perspicuo sono
Omnes alloquitur, trans Tanain fuge,
Legem numinis audies.

Subdebarne tibi, mi pater optime?
Quanto corripior frigore! Saepius
Peccavi, fateor... parce reo, pater,
Iram pone, pater, gravem.

ODE XVII.

REVERSO DOCENDI TEMPORE.

Venite, filii, audite me. (Ps. 33, 12).

Tirones redeunt, viximus otiis,
Jesu Christe, satis, limina me vocant
Perdilecta, lubens egredior domo,
Docturo benedic mihi.

Sponsae jura tuae, fata crucis juvat
Praeclaris juvenum mentibus indere;
Sunt cari juvenes, o ades omnibus,
Te pascamur oves tuae.

En molimur opus grande, duces erunt,
Quos nunc edoceam! Vae mihi, vae mihi,
Si nunc desiperem... cum populo miser
Poenas terribiles darem.

Ut nix mota suo vertice labitur,
Labendoque tumet: sic vitium patrum
Seris aucta parat damna nepotibus;
An defunctus adhuc diu

Multis officiam? Sudor it algidus!
Non, qui sum medicus, non ero carnifex!
Ne doctus videar, continuo, Deus,
In libris lateam meis.

Si non progredior, regredior, morae
Non sunt! Deliciis est sapientia,
Hanc semper sitiam, pocula da, bibam,
O Jesu, ante crucem tuam.

Qui vere sapiens est, docet et facit,
Quae struxêre diu verba, citissime
Demolitur opus, discipulos meos
O fac erudiam silens!

Nunquam solliciter stultus honoribus,
Ne vilem rapiant lucra pecuniae!
Ut multis caveam, sit labor impiger,
Me fratrum moveat salus.

Unum te redamem semper amabilem,
Cui fusi pretium debeo sanguinis,
Te mercede fruar, mi pater optime!
Inter gaudia Coelitum!

ODE XVIII.

AD NICEN VIRGINEM DEO SACRAM.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. (2 Cor. 4, 7).

O memoranda dies, qua sacris percita flammis,
Et patriae melioris amore
Rapta monente Deo florens juvenilibus annis
Aeterno tria vota parenti
Vovisti! Latuêre homines spectacula, coelo
Gaudenti patuêre, sacerdos
Auctoritate potens festis interfuit unus!
Eja age fortunata memento
Dulce jugum Domini, casti connubia Verbi,
Et sponsae venerabile nomen,
Corde revolve pio supremi culmen honoris!
Nonne Parens e millibus unam
Te tulit, ut legeres fragrantia lilia campi
Virgineas imitata sorores,
Quas sibi continuo divinus vindicat Agnus,
Ut coeli spatientur in horto?
Uni vincta Deo thalamos exosa jugales
Exsulta, bona filia... Sponso,
Candida virgo, tuo nec erit formosior ullus,
Nec melior, sapientior unquam,
Nobilitate parem totus non continet orbis,
Nullus homo locupletior illo!
Rex sedet in coelo, radianti luce coruscat,
Et volucres sine corpore turmae

Innumerique homines aeterna sede beati
    Ecce canunt pia carmina labris,
Et feriunt citharae vocali pectine chordas;
    Imperio movet ille potenti
Sidera sparsa polo numerumque recenset arenae...
    Huic regi cor ardeat *uni!*
Cor inquam totum! nec fas avertere partem,
    Quam sponsus sibi vindicet alter!
Ecce Deo collatus homo tibi pulvis et umbra:
    Laudetur sociata marito,
Una tamen virgo nuptas supereminet omnes!
    Praeterit irrevocabile tempus:
Foedera sacra manent; nec inexorabilis unquam
    Mors, Nice, tua vincula rumpet.
Quis vocet uxorem, quae sit viduata marito?
    Non rapitur tibi funere Sponsus.
Omnia continuo labentur saecula cursu,
    Sponsa Dei dicêris in aevum.
Virgo, vive Deo, vehementibus ignibus arde,
    Cor *semper* calefiat amore!
Sit tibi cara Fides, quam nullus adulteret error...
    Alma Fides pretiosior auro,
Alma Fides terrae gemmas supereminet omnes,
    Una jubar diffundit in orbem.
Tolle Fidem cordi, nox obruit omnia peplo,
    Tollis acum, quae tendit in Arcton,
Te labyrinthus habet... venerare cacumina Petrae,
    Fortis ubi Pius Urbis et Orbis
Numinis auxilio fretus moderatur habenas...
    Portus ibi te condit amicus;
Una salus Romana Fides, mendacia damna,
    Tartareis emissa tenebris.
Exsere saepe crucem tenui sub veste latentem,
    In Sponsum tua lumina torque,

Ecce cicatrices dant verba suavia mutae,
Duc imo suspiria corde,
Funde pias lacrymas, labroque fer oscula casto,
Verba refer: Mi Sponse, magistrum
Unum te veneror, jactent convicia turbae,
Tela, rogos minitentur iniqui:
Cara mihi semper tua sint oracula, Sponse,
Effundam cum sanguine vitam.
Donec vita manet, mihi Sponsum semper abesse,
Sponsa scio... sed flebilis uxor
Litora fida petit, pelagique vagatur in undis,
(Navis adest) sine voce maritum
Prima salutat ovans, dat circum brachia collo,
Poscit eum sibi semper adesse:
Sic ego, dum patriae felicia limina quaerens
His sedeo nunc exsul in oris,
Non video Sponsum, delector imagine Sponsi,
Vota fero sociata dolori...
Sponse, veni... crucior, tristissima labitur hora,
Sponse, veni... mihi cominus adsta;
Taedia vita movet, felix occumbere leto
Sponsa volo, da corpora busto,
Spiritus in coeli semper circumvolet auris,
Sit tecum sine fine beatus!
Penna volat pernix, sed corpore pressa fatiscit...
Ista tenet me barbara terra.
Ecce coronantur victorum tempora lauro,
Me nondum certasse recordor.
Bella Cupido movet, ferales excitat ignes,
Hasce lubet compescere flammas;
Ardet in deserto, sed non comburitur ardens
Spina (docent oracula Mosis)...
Ardeat hoc corpus, nisi possim exstinguere flammas,
Sed flammis melioribus urar

Virgo sponsa Dei, Sponsi munimine fortis
    Sum, fortique potentior hoste,
Tartareaeque fremant immani dente phalanges...
    Sponsus adest, procul ite phalanges,
Non ego terga dabo... pretiosa monilia collo
    Circumaget capitique coronam
Dives opum Sponsus... sit semper candida vestis,
    Quam tu, mi Sponse Redemtor,
Sanguine lavisti, mihi sint certamina curae.
    Te sudor cruciavit in horto,
Spinea serta tibi lacerataque tergora flagris,
    Clavorum te vulnus iniquum
Torsit acutorum... Sponsique doloribus ecce
    Sponsa meos sociabo dolores...
Dulce pati semper, tibi sacramenta placebunt!
    Verba refers mihi, Sponse... placebunt!

ODE XIX.

JUVENI.

Noli imitari malum, sed quod bonum est. (3 Joann. ℣. 11).

Praestas, o juvenis, viribus integer,
Exornantque genas puniceae rosae,
Ambit flava caput caesaries, micant
    Ridentes oculi tui.

Es claris atavis editus, ubere
Polles ingenio, dives opum places,
Fungêris cupidus munere Caesaris...
    Sed non invideo tibi.

Tu, qui multa tenes, Ire! nihil tenes,
Jactaris tumidae laude scientiae,
Demens esse Fidem stultitiam putas...
Non, non invideo tibi.

Quanto te potior, qui latet in casa
Pauper straminea, continuo sequens
Christum! tiro ducem! Crispe... veni, vide,
(Exemplo trahimur)... vide!

Resplendet Fidei lumine, despicit
Errorum tenebras, quae docuit Deus,
Servat mente vigil, quae capit, aestimat,
Et quae non capit, approbat.

Parvi probra facit desipientium,
Et nullum metuit fortis acinacem,
Vitam tutus agit non secus ac tener
In matris gremio puer.

Flens altare petit, Foederis hostia
Nutritur, geminat vota fidelia,
Coelorum meminit cara palatia,
Lustrat sacra volumina.

Non quaerit fatuae lucra superbiae,
Horrescit putridae damna libidinis,
Cordi vera quies, ipse Deum refert
Ut solem vitreus latex.

Te nunc, te, juvenis, crede miserrimum,
Sunt infesta tuo proelia pectori,
Ne pacem simules... en Deus hac mea
Nunc te voce redarguit!

Cur stultus fugias? Cur superes gravi
Hanc vocem strepitu? Surde, revertere,
Anni praetereunt irrevocabiles,
Dele crimina lacrymis.

Sunt aeterna rei crimina mortui,
Aeternumque reos supplicium manet,
Te suprema dies terreat, ut redux
Sit divina Fides, ama.

ODE XX.

TRISTIS.

Laetifica animam servi tui. (Ps. 85, 4).

Angor infelix, humeris iniquum
Pondus incumbit, premiturque cervix
Fessa jam dudum, superabor eheu
Mole, ruamque.

Non mihi duri socius laboris,
Otium non est, iter ecce longum,
Urget heu tempus... Deus, adde vires,
Adde roganti!

Adjuva (supplex iterabo votum)
Adjuva natum, Pater alme, fessum,
Solus occumbo (fateor)... valebo
Te mihi juncto.

O precum virtus! Levius videtur
Nunc onus tergo, pedibus redire
Robur invictum, propiusque adesse
Censeo metam.

Dulce solamen meminisse Patrem
Exuli nato, Superos recordor
Heu diu passos mala, nunc beatis
Otia fiunt.

ODE XXI.

COELUM.

Satiabor, quum apparuerit gloria tua. (Ps. 16, 15).

Quantae deliciae! Caeruleus nitet
Alma luce polus! Nunc age, barbite,
Laetemur socio carmine, frigidae
Nos umbrae nemoris vocant.

Diffugêre dies imbribus horridi,
Heu tristes nimium! Me domus incolam
Dudum continuit, gaudia luctibus
Commiscet sapiens Deus.

Quantae deliciae! Mi pater, es bonus,
Urbani strepitus sunt procul, otia
Sunt jucunda, placent cara silentia,
Non est hoc melior locus.

Mulcent me Zephyri, frondibus arborum
Delector, volucrum me rapiunt chori,
O dulces latebras! Rege beatior
Vocalem ferio lyram.

Felices oculos tollo, per aëra
Nunc pennâ rapior praepete, protinus
Coelorum video sacra palatia,
Taedet me exilii mei.

Coelum continuo me tenet, a domo
Avelli nequeo Patris amabilis,
Aeterna patria quid pretiosius?
Quid te, barbite, dignius?

Mens desideriis icta fidelibus
Circumfusa nitet luce scientiae,
Contemplatur ovans prodigio novo
Immensi faciem Dei.

Explorat sapiens docta volumina
Noctes atque dies: gutta datur siti...
Non discunt Superi: numine provido
Omnes Oceanum bibunt.

Fortunata cohors! sedula tu crucem
Versabas manibus, quum premerent pedes
Hanc terram, pretio crux supereminet
Omnes (credite) codices.

Doctos una parit crux venerabilis,
Aeternaeque Fides una scientiae
Est mater, brevior dum patet haec via,
Cur per devia volvimur?

Ambages adamat trux sapientia,
Errores generat foeta superbia,
Infirma est ratio, nocte reconditur,
Quae lunae radio micat.

Occumbunt pueri, quos furor aemulus
Divini pueri sustulit, edere
Nondum lingua valet verba, sed ecce jam
Norunt, quae docuit Deus.

Fortunata cohors! Te sacer ignibus
Exurebat amor, sedula dum crucem
Spectabas avido lumine, proelia
Miscebantur atrocia.

Non te densa phalanx terruit hostium,
Non orci rabies... tu melioribus
Armis usa ferox, fortior impetu
Concertanteque numine

Vicisti... trepidae terga cito dare
Jussae sunt acies, strata cadavera
Effudêre nigri flumina sanguinis,
Vicisti soboles Dei!

Et nunc alma quies, classica non sonant,
Dantur serta comis laurea, strenui
Cantatis Domino carmina, milites,
Fortunata cohors, ave.

Lugemus miseri, qui sumus exsules,
Labuntur lacrymae... tot gladio truci
Imbelles homines intereunt, diu
Eheu tot patimur mala,

Quot sunt astra poli; daemones efferi
Late sceptra tenent, bella movent cruci,
Ferme cuncta lue corda coinquinant,
Et vindex scelerum Deus

Sontes continuo verbere corripit!
Quae struxêre patres, omnia corruunt,
Quae flammas rapidas unda coërceat?
Jam jam vortice mergimur!

Detrudit solio terra Deum suo...
Quae sit meta malis? Barbite, contice...
Fundant ora preces, castus amor fleat,
    Ridebit melior dies!

ODE XXII.

VIRTUS.

Beati immaculati in via. (Ps. 118, 1).

Non vestes Tyriae, non superadditae
    Mensis deliciae dapum,
Non largae segetes, non laquearia
    Auri pondere turgida,
Non Ajace parens ortus ab inclyto,
    Non laetus populi favor,
Non ipsum solium regis eburneum
    Pacem conciliant tibi.
Qui vero illecebras temserit omnium
    Omni tempore criminum,
Hunc egisse virum lustra suavia,
    Verax lingua fatebitur.
Insonti quid enim dulcius indole?
    Quid virtute beatius?
Te, virtus, fugiunt agmina pallidae
    Clandestina libidinis,
Te, qui fraude solent lucra gementium
    Exhaurire vaferrimi,
Aut mucrone sibi praetereuntium
    Amplas surripiunt opes;
Te, qui per tumidi flumina sanguinis
    Et per strata cadavera
Vecti serta sibi laurea vindicant,
    Detestantur amabilem

Coeli progeniem, quam calami leves
Et linguae fatuae petunt.
Heu torrens vitii saevior in dies
Fertur praecipiti fuga,
Et natam genitrix et puerum pater
Exemplo maculant suo.
Balantem pecudem non genuit lupus!
Sordet, qui tetigit picem!
Infelix soboles, indomitum nefas
Plectet supplicio Deus.
Eheu non metuis, plena scientiae
Christi comminuis Fidem!
Labatur placido cymba Favonio,
Fragret litus odoribus:
Donis gaudet ovans, non tamen ebria
Recti conscia mens tumet.
Exundet pelagus limitibus suis,
Venti proelia misceant,
Motorumque ruant culmina montium,
Et correpta per aërem
Volvantur subitis sidera molibus:
Illam non agitat metus.
Novit, fata regi numine provido,
Et carum Superis pati,
Et sanctae meminit ludibrium crucis,
Et vitam recolit brevem,
Mors est meta malis ultima, pulverem
Aurae disjiciunt leves,
Ad coelos animus funeris immemor
Pennae remigio volat.

ODE XXIII.

JUDICIUM.

Judicati sunt mortui. (Apoc. 20, 12).

Horrent capilli, corda quatit metus,
Pallore squalent ora, tremunt pedes,
Mens torpet, it sudore mixtum
Frigus Hyperboreum per artus!

Portenta fiunt: buccina perstrepit,
Coelum remugit, busta recondita
Panduntur, attracti moventur
Vi cineres, caro vestit ossa.

Quot silva frondes, quot volucres alit
Effusus aër, quot gravidas metunt
Spicas coloni, quot recurvum
Litus habet bibulas arenas:

Tot lapsa reddunt omnia tempora
Leto sopitos! Corpora lucida...
Immersa nocti! Laetor... angor!
Ecce crucem Deus Agnus affert

Nixus curuli nube, latus premunt
Sacrae phalanges spirituum, liber
Lustratur ingens, ad tribunal
Acta silet glomerata turba.

Sperant, pavescunt, promitur omnibus
Arcana virtus et vitium latens,
Censentur omnes, imus ecce
Summa tenet, petit ima summus.

Tunc... tunc in aevum dividimur! Boni
Almo fruentur numine, sed mali...
Immensa sunt aeterna damna!
Credo... tremo... lyra, parce plectro.

ODE XXIV.

ECCLESIA.

Honorifica sacerdotes. (Eccli. 7, 33).

Odi profanum vulgus, adhaereo
Laetus verendo Pontificum choro;
Salvete, vos deferre pondus
Angelicis humeris tremendum

Jussit Redemtor. Me sapientium
Dudum fatigant sesquipedalia
Clamore promulgata rauco
Nocte nigra nigriora verba;

Dudum fatigant digladiantium
Jejuna, paucis auribus indita,
Incerta vexilloque Christi
Semper adhuc inimica verba.

Vos, o Parentes! flumina funditis
Vitae perennis, praesidio Pii
Pollere vos virtute coeli
Confiteor... vagus hanc palaestram

Formidat error! Dicitis: audiunt
Vos Auster, Arctos, Lucifer, Hesperus,
Oracula admirata flectit
Simplicium pia turba collum.

Ligno vetusto progenies cadit:
Surgit recenti; rumpitur horrida
Navis procella: trabs curulis
Una parat miseris salutem.

Hanc, hanc curulem vestra tenet manus,
Qui nos redemit sanguine plurimo,
Offertur a vobis in ara
Continuo Deus Agnus idem.

Thermae salubres corpora sulphuris
Virtute sanant: balnea praedico
Commissa vobis, labe prisca
Ingreditur temeratus infans,

Munda relinquit candidior nive.
Circumdat armis patria militem,
Luctatur hic, sed laesus idem
Saepe ruit: stimulatur orcus,

Dum crescit aetas, illita pollice
Unguenta fronti pectoribus novas
Vires ministrant, barbarorum
Nulla Fidem superabit ira.

Heu saepe frustra poscit opem miser,
Tabescit: ingens sit facinus tuum,
Illud sacerdoti reclude,
Et veniam tribuet roganti.

Annona prostet, nulla putredinem
Arcet sepulcri: gnava Patrum manus
Escam parat, qua sempiterna
Vita datur melioris aevi.

Nos hora terret nuntia funeris,
Omnes amaris fletibus ingemunt:
At bacca nos felix olivae
Munit, iter meditamur acres.

Regum coronae praecipites ruunt:
Vester, beati Pontifices! manet
Ordo verendus (Christus ecce
Ipse fidem dedit ore certam),

Donec sopitos buccina suscitet
Clangore acuto. Foedera conjugum
Consensus icit, sed ministri
Sacra manus benedicit ictis.

Regno potiti consilio Dei
Mulctant severa lege nefarios,
Privant bonis, stringunt catenis,
Fuste notant capitisve damnant;

Sed vestra, Patres, poena potentior:
Si cui sacrarum clauditis aedium
Valvas, Deus deturbat illum
A foribus patriae supernae.

Oppressa tanto pondere gloriae,
Mens haeret, altos siste modos, lyra,
Facunda non dicunt honores,
Concelebrant taciturna labra.

ODE XXV.

MARTYRES JAPONIAE.

Visi sunt oculis insipientium mori... illi autem sunt in pace. (Sap. 3, 2-3).

Europa, gaude... festa dies adest,
Specta triumphum, mater! Japonum
Clarum triumphum, sancta proles
Lacte tuo satiata vincit

Iram tyranni. Dentibus infremens
Circumdat illam turba satellitum;
Mulctantur aures, mortis omen
Luminibus stupet irretortis

Crudum Meacum... sanguine victimae
Fuso madentes dissita per loca
Plaustro vehuntur, perduelles
Supplicio docet esse lictor

Turpi necandos; protinus undique
Actae phalanges ludibriis petunt
Recti tenaces, sunt revincta
Fune manus, riget atra bruma.

Sed corda fervent ignibus! Ut nives
Praerupta lapsae per juga montium
Crescunt eundo: sic amorem
Vis geminat studiosa damni.

Annosa quercus rupibus inviis
Innata cunctos sustinet impetus,
Altum cacumen tangit astra,
Ima petit spatiosa radix:

Laeti tot inter terribiles lupos
Agni quiescunt, immemores sui
Unius aeternam salutem
Heu stolidae meminêre gentis

Sermone fortes. Est amor aemulus
Magnetis: horrent numina tristia,
Mirantur heroes ovantes,
Atque Deum venerantur unum

Coetus novelli... circumagit furor
Falsos ministros: pectore gloriae
Aurique detrimenta volvunt,
Et populo viduanda templa,

Moesti queruntur... Quanta per aërem
Vox fertur! Almus collis adest diu
Desideratus, stringit ulnis
Turba cruces, avidisque libat

Effusa labris oscula, carmina
Jucunda cantat! Quot nemori comae,
Campis aristae: tot per orbem
Stant homines, pia membra palis

Loro alligantur, torquibus indita
Sunt colla ferri, transadigit latus
Hasta vibrata tortor atrox,
Illa humero tenus acta spargit

Sacri cruoris flumina! Martyres
Coeli sodales... fratribus obvii
Estote vestris, ferte palmas,
Atque caput redimite sertis.

Francisce, gaude, sunt segetes tuae!...
An non timetis fulmina, barbari?
Gaudete vos, fratres relicti,
Flecte genu, Roderice, numen

Supplex adora, quo duce ferbuit
Haec pugna felix, sacra cadavera
Depone, thesauris habentur
Innumeris pretiosiora.

ODE XXVI.

SACRIFICIUM ALTARIS.

Introibo ad altare Dei. (Ps. 42, 4).

Sol pellit umbras: advolo protinus
Arae sacerdos, hostia vatibus
Cantata priscis immolatur,
Seque Patri Deus Agnus offert.

Exsulto felix: impero numini,
Altare stipant aligeri chori,
Quem terra, quem coeli verentur,
His manibus capietur unctis.

Ivêre dudum sanguine victimae
Tinctae recenti! Quas Zephyrus, Notus,
Quas Eurus Arctousque ventus
Afflat, ubilibet admoventur

Fusae cohortes ad penetralia
Augusta, laeti nunc adyton petunt
Casti sacerdotes, et una
Mente Crucis renovant trophaeum.

Fratrum coronae consocior lubens,
Sanctae parabunt fercula nuptiae...
An veste cingor nuptiali?
Sollicitus, Deus, extimesco!

Si me negarem sordibus infici,
Mentirer audax, lux tua cordium
Arcana perscrutatur, eheu
Est vitio medicata virtus!

Hac sorte cuncti vivimus, et bonum
Censemus illum, qui minus est malus,
Luctamur acres, o beatum,
Quem feriunt leviora tantum

Bello secundo vulnera! Lacrymis
Peccata plango, mi Pater optime!
Te diligam, te semper unum,
Consilio, Deus, adde vires.

Tu sceptra solus, sancte Pater, tenes
Totius orbis, nos tibi subdimur,
Quo teste subdi nos probemus?
O Deus, haud sumus innocentes,

Sit testis Agnus, se dominum prior
Adamus olim, se famulum tibi
Adamus alter fecit, uno
Hoc famulo famulamur omnes.

Ni Christus esset, non foret hoc genus,
Auctore Christo vivimus, omnia
Hoc advocato impertiuntur,
Quas tibi nos labiis profanis

Grates agamus? Reddimus en tibi
Hunc advocatum, nil melius capit
Haec terra, det legatus idem
Verba tibi, Deus alme, grata.

O nos benigno respice lumine,
Sparsisque natis o benedic, Pater,
Tu coge palantes, ovili
Junge tuo, sociemur omnes.

Torquent procellae naviculam Petri,
Iram coërce; non perit haec, tamen,
Hanc posse laedi, non negabo,
Si valido feriatur ictu.

Fac esse gnavos, nosse pericula,
Pollere multo robore navitas,
Ventique certantes domentur,
Difficiles superentur undae.

Rebus caducis eripe nos, Pater,
Ad te perennem proripe, munera
Telluris exosi petamus
Dona tui meliora coeli.

Rivo supernae pectora gratiae,
Christo patrono poscimus, imbue,
Ut flamma subsidat nefasta,
Igne tuo penetremur omnes.

Omnes euntes in bivio sumus,
Tentamen urget, nos amor huc trahit,
Illuc voluptas; quo movemur,
Dum morimur (referens tremisco),

Illuc in aevum tendimus; o Deus,
Da, da beatam carpere nos viam,
Quae ducit ad te, sint salebrae,
Delicias iter hoc parabit.

Mors ecce multos surripuit viam
Coeli probantes, a penetralibus
Arcentur immundi, tuisque
Liminibus, Pater, immorantur:

Deterge sordes, excute pulverem,
Votis adesto, jam digito fores
Pulsant frequenti, mox ovantes
Excipiat domus una cunctos!

ODE XXVII.

NEOMYSTAE.

Ite et vos in vineam meam. (Matth. 20, 7).

I, care frater, vinea te manet
Electa sancti numinis, impiger
Esto colonus, sunt labori
Deliciae, decus atque lucra.

Auctore Christo vivimus, in cruce
Una salutem quaerimus, hanc trabem
Qui spernit, absorbetur undis,
Haec populo veneranda prode

Vexilla, rident haec fatui, manus
Adstringe ligno fortius, en pati
Est dulce tironi, qui acerba
Fata boni recolit magistri.

Gallos profanae vi sapientiae
Actos memento, flumina sanguinis
Ivêre, solemni triumpho
Innumeri cecidere fratres.

O pugna felix, verba movent, trahunt
Exempla, certa, frater amabilis,
Vexilla non tolluntur haecce,
Terga dabunt pavidae phalanges.

Aurora surgit, nola ciet sonos:
Accede sacris pervigil aedibus,
Oblatus Agnus promsit aurum,
Quo redimi soboles catenis

Innexa posset: nunc manibus tuis
Oblatus idem continuo preces
Effundit ad coelos, ut auro
Hoc redimi tenebrosa poscat.

Natis parentur balnea, vinculis
Captum secundis eripe, fercula
Da Foederis, da saepe multis;
Unge oleo moritura membra.

Defende ritus, et benedic tuis,
Sponsae petenti munera non negat
Divinus Agnus, semper orci
Sacra manus nocumenta pellit.

Extolle numen laudibus, uberes
Persolve grates, crimina lacrymis
Deterge plebis, tende palmas,
Mente pia meditare coelum.

Haec sacra praestant otia millies
Nugis profanis, en pedibus premunt
Lapsura, quos aeterna mulcent,
Est precibus comes alma fusis

Annexa virtus, ecce virum decet,
Quae grande dudum nomen habet viri;
Dic, quando sanabuntur aegri,
Si medici vitio laborent

Omnes eodem? Num glacies alit
Concreta flammas? An Boreae rosas
Sparsêre molles? Sit tuorum
Cara salus, rude vulgus una

Vita ministri saepe fidem probat,
Tarde resurgunt strata celerrime!
Es pastor, et praedam luporum
Pastor ovem repetet supremus.

Sunt caritati fulcra scientiae:
Si pauca scimus (crede), licet diu
Libris vacemus, qua laboret
Stultitia piger? An sagittae

Ictum retundat, qui clypeo caret?
Turbae sequenti dux praeeat viae
Ignarus? Huic nostrae palaestrae
Est sua laus, simul ampla merces.

O totus uni vive gregi tuo!
Est haec voluptas, cui chelyn imparem
Novi canendae... tunc, sacerdos,
Continuo tibi vivis uni.



IDYLLIUM I.*)

MENALCAS, PALAEMON ET PHYLLIS.

Vesper erat, radios jam sol immerserat undis,
Pallida mox coelo fulgebat luna sereno,
Sparsa polo nitidas vibrabant sidera flammas,
Mulcebat placidus taciturna Favonius arva.
Ecce casae patuêre fores: et languidus annis
Exibat nixus baculo gravis ore *Menalcas*,
Cui nudus vertex, cui circum tempora cani.
Parva aderat sedes lateri subjuncta sinistro
Saxea, lassato multis carissima lustris.
Consedit lentus circum sua lumina torquens;
Consertis palmae digitis tremulaeque gravesque
Incubuêre pedo, defixâ mente silebat,
Transibant lacrimae macilenta per ora latentes.
    Undabant segetes, fragrabat odoribus aër:
Excitus e latebris opulenta per arva *Palaemon*
Ibat ovans, tenerae formosus flore juventae;

***) Colloquia haec sacra, quibus vitae christianae innocentia describitur, non inepte Idyllia mihi liceat appellare.**

Dulce melos Superis arguta voce.canebat,
Aspiciensque senem: Salve, pretiose Menalca!
Dixit, et in molli recubabant gramine membra.
"Laetus ego, tu tristis ades! Quae causa doloris?
Tolle oculos circum, pingues glomerantur aristae,
Poma ferunt rami, viridi tumet uva racemo.
Non imber nocuit campis, non grando nivosa,
Non aestus solis. Replebunt horrea messes,
Dulcia vina cados — felix laetare, Menalca!,,
(M.) "Infelix, mihi crede, diu jam labitur aetas,
Progenies vitiata jacet, mi care Palaemon!
Gens infesta cruci, juris veneratio nulla,
Juris origo dolus, violentia — semper habendi
Crescit amor,, — tacuitque senex fessisque dolore
Excidit e manibus baculus, quem reddidit alter.
(P.) "Tolle decus roburque tuum, grandæve Menalca!
Pone metum (supplex hortor), cor exue curis,
Damna metu crescunt, curis graviora videntur.
Mille sinu condunt haec vilia tecta colonos:
Omnibus una domus semper carissima — templum;
Non nix, non glacies adeuntes arcet, aprici
Non cohibent calles; promissa veste sacerdos
Omnibus est carus, laetus supereminet annis
Paene omnes,,.
(M.) "*Thyrsi* semper venerabile nomen!
Ni fallor numero, ferme bis quinque (recordor)
Lustra recesserunt, ex quo pius advena Thyrsus
Has petiit sedes humiles moriturus in illis.
Mille Pater natos uno dilexit amore.
Hic mihi connubii sociavit foedere *Phyllin*,
Atque meos omnes sacro de fonte renasci
Infantes jussit,,.
(P.) "Bonus est hic pastor ovesque
Sponte sequuntur eum. Paries, altaria templi

Non auro argentove rigent, sed munda nitescunt:
Consulit ecce Deo, verum sibi tecta reservat
Vix nostris meliora, placet moderata supellex,
Parva penus, geminare preces et grande volumen
Nocturna versare manu versare diurnâ;
Hic stipe continua miseros solatur egenos.
Quantus erit luctus, quum tandem cesserit aevo!,,
(M.) "Rura cruci (fateor) non sunt inimica, sed ecce
Vina rubent, juvenesque bibunt et ignibus ardent
Non sacris, sociantque sibi sine lege puellas,
Offenduntque Deum. Referens tremo, frigidus horror
Membra quatit: crevisse nefas, concede, Palaemon!
Dum meliora probant, quae sunt pejora, sequuntur!
Hoc tantum facinus non notum tempore prisco!
Inficiunt urbes truculento rura veneno!
Haec me sollicitum tenet anxia cura!,,
(P.) "Menalca!
Siste pias lacrimas, radiant virtutibus urbes;
Templa patent numerosa, nitent altaria picto
Marmore, collucent rutilantibus ignibus arae,
Thura cremant pretiosa focis, et veste sacerdos
Magnificâ fulgens modulatur carmina voce,
Organa laeta sonant: tantos spectare triumphos
Dulce decus! Felix oculus, qui talia cernit!,,
(M.) "Non species rerum, sed res libranda, Palaemon!
Num multi fudêre preces?,,
(P.) "Penetralia templi
Innumeri replent homines!,,
(M.) "Sed quaero, Palaemon!
Num multi fudêre preces? Virtute trahuntur
Et citharae et litui, mulcentur cantibus aures,
Dantque theatra modos, vocum discrimina quaerunt,
Non portenta crucis, quae tunc renovantur in ara.
Auribus associans oculos vesana propago

Uritur occultâ stimulata cupidine! Lingua
Jungitur infelix, trudunt sermonibus horam!
Non species rerum, sed res libranda, Palaemon!„
(P.) "Est tua, crede mihi, forsan sententia praeceps,
Censor acerbe nimis! permulti poplite flexo
Pectora contundunt palmis manibusve supinis
Longâ sollicitant Superos prece!„
(M.) "Quis putet, omnes
Terga dedisse Deo? Sed major turba malorum!„
(P.) "Falleris! Ancipites multi, sed praevalet agmen,
Quo sociantur oves!„
(M.) "Tibi nondum credo, Palaemon!
Sum trutinâ meliore potens: delicta vetusta
Corde fugare novo veniamque rogare jubemur.
Ecce sacerdotum prostat sublime tribunal:
Feminei sexûs accedit plurima turba —
Quaere viros!!„
(P.) "Pia claustra viri vel septa domorum
Nocte favente petunt!„
(M.) "Superant haec limina pauci...
Argumenta probant. Est regia coena parata,
Villa viros arcet, bos, nupta: caretque vocatis
Mensa viris, rari nantes in gurgite vasto.
Hos urbes genuêre viros, meliora renident
Rura, quibus passim venerabilis ordo virorum.„
(P.) "Do mea colla jugo: docet experientia—credo!„
(M.) "Est bona simplicitas, melior prudentia, fili.
Serpentes cautos placidasque imitare columbas!
Nondum opus exegi, superest pars *maxima* curae,
Haec mea corda dolor vehemens ferit, alme Palaemon!
Dum lapsum memini tempus, dum cerno futurum.
Ut, quum grando ruens segetes populatur et uvas,
Rusticus ex imo ducit suspiria corde:
Sic ego, praesagâ dum mente recenseo damna,

Deficio miser. Est dudum quaesita sepulcro
Alma quies: nondum vero mea stamina letum
Falce secat. Loquar, infandum renovabo dolorem.
"Non agnos genuêre lupi sobolesque parenti
Moribus aequatur. Procerum penetralia lustra
Civilesque domos: Fidei vestigia desunt!
Tolle oculos circum — statuis conclavia turgent,
Pictaque distinguunt ipsos simulacra tapetes:
Exsul imago crucis! Pueri sua strata relinquunt,
Strata petunt: ridentque preces — ignobile, demens
Vulgus eas adamet! Non sunt jejunia curae,
Assuetum dapibus lautis heu molle palatum!
Sacra dies Domini renovat monumenta salutis:
Non moniti pueri fugiunt heu limina templi!
Vespere coetus adest: lepidis sermonibus actae
Praetereunt horae: proscindit lingua profana
Omne, quod est sacrum: sitiens puer aure venena
Dira bibit — speculis admota puella figuram
Discit amare suam, vultum studiosa colore
Tingere mendaci, pretiosa monilia collo
Indere nudato, faciles iterare choreas
Ad citharae numerum, lascivaque retia circum
Tendere formosis, concinnâ veste nitere,
Et leges servare novas (oracula mundi),
Quas tulit indomito regina Lutetia sceptro.
Dic ubi sit Christus? Quid censes, care Palaemon?
(P.) "Rura mihi potiora diu! *Si quaeris asylum*
Mentibus innocuis, urbana pericula vita,
Et latebras adama tutas melioris eremi!
Haec sit cara mihi felicis Regulae vitae.
Sum genitore satus, cui parva domuncula, structa
Arbuteis olim virgis et assere multo.
Tityrus ecce pater sociataque mater *Acantha*
Me docuêre crucem et Jesu venerabile nomen.

Mors illos rapuit, sed cara sepulcra parentum.
Non mihi dantur opes, exerceo vomere terram,
Idem dives opum, quia Christi nomine clarus!,,
(M.) "Tolle jubar solis: tenebris immersa laterent
Omnia; tolle fidem: non certâ sede vagamur.
Sacra olim fuerant socialia vincula Christo,
Nunc Christum pepulêre truces; respublica languet
Infelix — medici tribuunt sua pharmaca: languet!
Fundamenta ruunt! Christum revocate: manebit!,,
(P). "Insidet in solio regina scientia, mundi
Late sceptra tenens, gestitque superba repulsam
Conculcare Fidem; tetigêre cacumina montis
Artes ingenuae! Tanta aevi gloria nostri!
(Sic fantur stulti!) Totus renovabitur orbis!,,
(M.) "Dic age quid coelo regina scientia prodest,
Si jubar ex animis fidei rapiatur? Egena
Mens hominum languet regalibus obruta gazis!
Quid prodest nitidum celsis laquearibus aurum,
Frigore si crucier, si potus et esca negetur?
Sed jam tolle tuam regina scientia larvam:
Cominus alta patet, quae cernitur eminus ima,
Turris; at inversâ docti ratione probantur:
Si procul abfueris, sunt magni, accede, pusilli.
Gloria, quam tribuit regina scientia, mendax;
Extollit pretium mercis clamoribus altis,
Quisquis vendit eam! fatuis sapientia saepe
Ignibus aequatur, sunt multa incerta, lacunae
Innumerae! Fidei venerare, scientia, nomen!
Alma fides errore vacat, tutissima coeli
Est via! quo tendunt artes? numerosa caducae
Emolumenta parant vitae — non lumina sacra
Ingenio tribuunt, animae non crimina tollunt,,.
(P.) "Quî fit, ut sapiens mendacia censeat esse,
Quae docet alma Fides?,,

(M.) "Triplex est, care Palaemon!
Fontis origo mali. Cujus sunt messis et arbor
Divitiae, *didicit* convellere vomere glebas,
Tradere semen humo, lymphis arbusta rigare.
Opilio didicit pecudes, didicêre bubulci.
Disce-scies! Lex est! Regina superbia vero
Continuo renuit studiis intendere mentem.
En *Melicerta* puer, cui septima vertitur aestas,
Tiro bonus didicit memori sub pectore servans,
Quae Christus docuit, fieri quae jussit — at ille
Actaeon stultus, cui vina rubentia curae,
Heu ne prima quidem Fidei mysteria novit!
Dixerunt omnes: Ignoti nulla cupido!
Quî damnes ignota? Tamen temerarius ille
Ridet sacra Dei — potator aheneus ille!!„
"Semina commisit terrae generosa colonus,
Et pius ingreditur cari penetralia templi.
Victima peccati nostris offertur in aris:
Ille genu flexo tremulas ad sidera palmas
Tollit, et ingeminat ferventia vota: Redemtor!
Da placidos imbres, et solis mitte calores,
Grando procul frigusve nocens tetraeque locustae!
Censores Fidei! Non crevit cordis in agro
Alma Fides vestro, quia *non petiistis* eandem!
Ecce preces semper regina superbia sprevit.
Cornelius vero (narravit Thyrsus) amicus
Colloquii sacri meruit Simone docente
Nosse Deum. Nutrita oleo dat lumina lampas,
Deficiente negat. Tibi constat causa secunda„.
"Tertia nunc aderit: Puer en praeeunte magistro
Reddit verba notis, obtemperat ille scienti,
Parendo discit scribendi nobilis artem.
Alma Fides plantae similis, cui septa calores
Continuo praebent, ni fervida praebeat aestas.

Mergitur in tenebris divini luminis expers
Mens hominum, duro *si bruma coërceat acris*
Corda gelu. Dubiis eheu torquebitur exlex,
Credet amans!,,
(P.) "Dudum decoratur imagine picta
Valva domus nostrae: Parvum penetrale refertur,
Janua fulta serâ non panditur, indice curvo
Christùs adest pulsans, Aperi! vox personat ore.
Incola fors audit, sed janua cardine verso
Non adaperta sonat... credit, non diligit idem.
Forsitan insano miscentur cuncta tumultu,
Et digiti vocisque sonos supereminet unus
Insanus strepitus, nec valva recluditur, ecce
Nulla fides, quia nullus amor,,.
(M.) "Tua nobilis icon
Erudit et recreat calamo depicta Joannis.
Nectere fila juvat sermonis rupta parumper.
Damna paterna domus soboli parat, et parat illi
Damna forum. *Libros* memini, quos protulit Orco
Lucifer, ingenti numero quocumque feruntur
Et vili pretio; malesana cupido legendi
Mente leves pueros agitat facilesque puellas.
Omnia sacra negant et rident casta, probantque
Posthabito coelo calicis redolentia mella,
Quae praebet generosa parens regina voluptas;
Et nondum primâ tecti lanugine malas
Dira venena bibunt, vehemens exaestuat ignis,
Et furor insanus sceleri scelus addit, eundo
Crescit aquae torrens,,.
(P.) "Fert damna libido saluti.
Heu vidi juvenes (manabant lumina fletu),
Lividus ore color, macies in corpore toto,
Languentes oculi, vox dudum rauca, pedesque
Incerti tremulaeque manus — et corpora praecox

Mors rapit. Haec potior sedes, felicia rura,
Et florent juvenes et multo robore pollent,,.
(M.) "Luciferi memini libros, meminisse *libellos*
Nunc juvat (o utinam cuncti rapiantur ab igne!)
Nuncia cuncta ferunt et facta recentia narrant
Unaquaque die. Quaerenda pecunia primum!
Quae sunt vera, parum: nobis mendacia prosunt,
Et satyris mordere crucem, mulcere faceto
Corda stylo placeat, sensusque lacessere torvis
Ignibus! Haec calami nostri jucunda voluptas,
Lex haec prima! Legunt tenebrosa volumina passim
Fraudibus allecti vitiantque venena palatum.
O stulti! Certant vobis illudere captis,
Qui sibi lauta parant convivia, praedia multa,
Et bigas celeres et celsa palatia. Stulti!
Hanc merito luitis poenam,,.
(P) "Celebranda typorum
Ars (fateor), cultro tamen est aequanda, secantur
Ligna, cibi: saevo terebrantur vulnere corda.
Ars ancilla crucis toti olim profuit orbi,
Nunc nocet imperio tetri subjecta draconis.
Heu non diffiteor: damnis sunt lucra minora,,.
(M.) "Erudiunt multos spectacula sana *theatri*,
Nunc vitiant insana, placet nunc fabula tantum,
Si Veneri sacras adoleverit ignibus aras,
Nunc humili socco nunc alto nixa cothurno;
Dant manibus plausus baculis ac voce frementes.
Scilicet hauserunt dulcissima pocula vini,
Corda calent ratioque silet, vah flebile vulgus!,,
"En conclave patet, pretioso marmore stratum,
Serica nocturnas ornant aulaea fenestras,
Ecce pavimento superaddita picta colore
Arte tapeta manûs, fulgentia lumina circum
Auro fulta gravi, peplo nox furva recessit,

Ver tulit in calathis fragrantia munera florum,
Vina Falerna tument, sunt fercula digna Lucullo,
Ad numerum motis revolutas arte *choreas*
En plaudunt pedibus, plenae clamoribus aurae.
Dulce malum pelago Sirenes voce canora
Detinuêre rates: effrontes ecce puellae
Arte, oculis, habitu juvenum depascere corda
Nituntur, capiunt laqueis, heu sulphure flamma
Nascitur attrito, tabescunt saucia corda
Criminibus multis. Argenti pondus et auri
Effusum choreis vitii grassantis origo!
O miseros juvenes! Se fortes esse picemque
Tangere posse putant, quin sordeat illita palma!
Venales pretio per compita lata vagantur
Atque aevo nostro numero crevêre puellae.
O miseros juvenes! Sunt auro vincula nexa!
At ferro graviora rigent!,,
(P.) "Sunt rura beata,
Quae non stulta suis onerat sapientia *libris;*
Sunt nobis pauci, quos dextra volutat in aede,
Sufficiunt! Alios felicia rura ministrant:
Sunt auctore Deo conscripta volumina nobis,
Quae lustrat simplex oculus Thyrsusque magister
Explicat. En saliens rivus floresque suaves
Et lolium et segetes et apes simaeque capellae,
Montes et valles et vasti sidera coeli
Sunt totidem libri, quibus utimur! Ecce *libelli*
Sunt etiam nostri: referunt, quid agatur in oris
Aeterni Patris. Nobis est terra *theatrum:*
Sunt homines mimi, lacrimosa tragoedia vita.
Si bene res agitur, felix bene plaudit Olympus.
Vivendo morimur, levibus par vita *choreis*,
Non arcenda comes mors est, et morte rotamur
Ad numerum crucis,,.

(M.) "Haec ruris sapientia felix.
Junge pyris sanis putrefacta, putrescere cuncta,
Te docet una dies. Bibulae glomerentur arenae,
Unda riget partem, totus madefiet acervus.
In praeceps ruimus, montano flumine torrens
Transiliens ripas spatiatur, et aggere rupto
Sternit agros pecudesque rapit, jam proximus urget
Connexos lateres et vimina torta casarum.
Hac ego sorte vocor melioribus editus annis!
Hac ego sorte vocor, tu me solare, Palaemon!,,
(P.) "Est Deus in coelo, qui temperat orbis habenas.
Exercere bonos statuit punireque sontes.
Terribili toties jam sunt contusa flagello
Terga: lues Asiae regionibus exiit, eheu
Indomitâ rabie permulta cadavera stravit.
Non sapiunt homines: tingi lustrantibus undis
Saepius infantes duri vetuêre parentes...
Haec Thyrsus retulit. Qui numina ficta colebant,
Urbibus ejecti Christo vincente latentes
Quaerebant pagos, pagani jure vocati:
Urbibus ejecti Satana vincente Fideles
Pagorum quaerent latebras, heu forte vocandi
Pagani!,,
(M.) "Sapis, alme puer, dilecte Palaemon,
Lustra recesserunt bis octo. Carcere rupto
Tartareo terram soboles metuenda draconum
Invasit, stravitque crucem: latuêre ministri,
Quos veluti cervos insectabantur ubique
Vesani rabie truculento dente Molossi.
In templis Ratio Dea (vox mihi faucibus haeret),
Obscoeni cantus, obscoena... sed ora tacebunt
Crimina: thesauris spoliata frequentibus eheu
Templa aequata solo, divendita; tetra securis
Cervices resecabat ovans, heu plurima turba

Suppliciis aliis occisa, sed ecce-fatigor.
Deficiunt vires. Eheu pejora redibunt
Tempora!,,
"Macte animo, fortis confide, Menalca!
(Forte superveniens exceperat auribus uxor
Ultima verba viri; repeto, confide, Menalca!
Ecce Maria potens et justam vindicis iram
Ipsa coërcebit; non ludor imagine — spero.
Virgo Dei genitrix, cui totus flectitur orbis,
Est regina potens. Haec nescia labis avitae,
Haec nulli patuit naevo! Pia Virgo rogabit,
Et votis aderit Deus!,,
(M.) "Haec mihi balsama *Phyllis*
Fert opulenta,,.
(Ph.) "Mihi dilecta rosaria curae,
(Scuta repercutiunt flammantia tela draconis).
Sedula Virgineo capiti ter quinque rosarum
Praebebo decades, tria serta rubentia Matri.
Flore novo semper foliisque recentibus halent.
Dona feram, quae sunt carissima. Surge, Menalca,
Terge pias lacrimas,,.
(M.) "Non abnuo, vindicis iram
Posse retardari precibus — reor, ulcera nostra
Uberibus torrenda focis ferroque secanda.
Haec medicina potens; fateor: pia Virgo rogabit,
Reddeturque salus duro medicamine parta!
Aëris exturbat violenta procella vapores,
Tela trisulca micant, tonat alti regia coeli:
Sol melius nitet! Haud penetrat secreta polorum
Talpa oculis captus. *Myrtilli* filia nuper
Subtili pingebat acu: mirabile visu!
Retrorsum varii miscentur fila coloris:
Ante oculos vero pulcherrima prostat imago.
Hinc et ego sociabo preces, dabo serta rosarum

Virgineo capiti, quae sunt pulcherrima, tradam.
Serta ferent omnes, quotquot pietate refulgent,
Placatusque Deus reducem dabit ipse salutem.
Qua ratione dabit?,,
(P.) "Deus unus novit eandem!,,
Conticuêre diu, facunda silentia tandem
Phyllis ovans rupit, palmasque tetendit ad astra:
"O vos caerulei fulgentia lumina coeli,
Molibus immensi soles numeroque carentes!
Multas ecce tulit vobis ab origine leges
Conditor aeternus, leges servatis in aevum.
Non ibi, qui torvo socialia vincula rumpat
Imperio, secura quies et amabilis ordo!
Vilis terra mihi, non es nisi ligneus asser,
Sunt homines parvae formicae! Dicite, stellae!
Unde oritur nobis haec tanta superbia, sacras
Quae violet leges supremi numinis? Eheu
Desipiens tumidis celebratur laudibus aetas!,,
"Tempus edax rerum praetervolat ocyus Euris,
Nec redeunt anni, me certa *Palaemona* bustis
Fata dabunt, vermesque simul velut agmine facto
Viscera corrodent, cineresque dabuntur in auras,,.
"Tertius accedo, precibus sociabo *Menalcas*
Ore preces et corde meo, peregrinus euntis
Non quaeram vitae fallacia dona, perennes
Me rapiunt anni meliori sorte vocatum,,.
"Vota ferunt alterna sibi, sua quisque beatus
Strata petit... Sacris sparguntur odoribus aurae,
Obstupui vidique senem, pius ore canebat:
"Felices animae, coelesti carmine dignae!,,

IDYLLIUM II.

MYCON — DAPHNE — TITYRUS.

"Nox erat, et gelidae velabant omnia circum
Arva nives, viduata comis lugebat opacis
Silva, viatori quondam carissima lasso,
Rumpebant celeres taciturna silentia venti,
Agricolae placidâ laxabant membra quiete.
"Sed *Mycon* vigilat sociata conjuge, tristis
Aspicit immoto lacrymantem lumine *Daphnen.*
Tityrus ecce puer, quem dura compede letum
Vinxit, inest tabulae macilento pallidus ore:
Caligant oculi, clauduntur vocibus aures,
Labra silent, rigidique pedes, et frigore palma
Torpet, adest capiti Christi morientis imago,
Lux tenui nutrita oleo non dissipat umbras.
"Protinus assurgit genitrix, et imbre jacentem
Aspergit lustralis aquae, pia vota salutis
Uda genas, vultum demissa profatur:
Tityre, mi fili, laetum juvenilibus annis
Tetra nefasta dies atro signanda lapillo
Te mihi surripuit, natoque orbata suavi
Infelix jubeor cruciantem degere vitam!
Conticuit ducens imo suspiria corde.
"Cui Mycon deprompta Deo solatia praebens:
"Siste, ait, effusas lacrymas, luctumque coërce —
Est modus in rebus! Qui temperat orbis habenas,
Hunc adolescentem rapuit sibi morte ministra!
Tu decreta Dei venerare, quiesce, Deoque

Redde lubens puerum, quem nobis tradidit idem.
Foederis haeredem (nosti) fidissimus Abram
Ipse sua mactare manu, pater ipse, jubetur!
Thariadae pietas longum memoranda per aevum!
Non Deus a nobis haec munera tanta poposcit!
Tityrus ecce brevi jussus decumbere morbo
Obdormivit!„
(D.) "Amor, Mycon, genitricis abundat
(Parce, precor) verbis; dum luctus pectora torquet,
Non semper trutinâ librantur verba, sed exlex
Os loquitur — nati vero meminisse licebit,
Et quanta pietate Deum quantaque parentes
Nullo vincendus vitio dilexerit; ecce:
Nondum sol oritur, pernix sua strata relinquit,
Congeminatque preces tollens ad sidera vultum;
Impiger ad templi solemnes advolat aras,
Gnavus ubi partae renovat monumenta salutis
Thyrsus; opem nactus supremi numinis, ecce
Rura colit pascitve greges, parvoque salino
Contentus lepido recreat sermone sodales,
Voce potens carmen tenui modulatur avena.
Imperio pollens irae compescere fluctus
Tiro bonus didicit, miserisque afferre levamen
Hostibus. Ad citharae numeros duxisse choreas,
Incaluisse mero, teneras arsisse puellas
Quis contendat eum? Furvo circumdata peplo
Nox redit: ille genu flectit, manibusque supinis
Corde canit veniamque rogat, lassoque soporem
Strata ferunt„.
(M.) "Mater tribuit justissima laudes,
Laudes addo novas genitor, nec stultus adulor,
Cara dies Domini puero regina dierum:
Gaudet ovans, nitido circumvelatur amictu
Tityrus, ingreditur sacri penetralia templi,

Nola vocat solemnis eum clangore suavi
Et bibit arrectâ, quae Thyrsus nuntiat, aure;
Vocibus associat populi modulamina vocis.
Dum Verbi gladio divinus caeditur Agnus,
Dulcia virgineam dicunt praeconia Matrem,
Qui latet in specie panis, benedicit ituris.
Nullo unquam voluit servili festa labore
Commaculare: quies mater foecunda laborum!
Otia cara facit Deus: almos temporis acti
Heroës adamat, quos coeli continet alti
Regia, tantorum celeberrima gesta virorum
Miratur factisque probat. Peccata recenset
Cuncta sacerdoti, coelestis carnibus Agni
Vescitur esuriens, quoties pergrata recurrit
Festa dies, tepidae spernens convicia turbae
Virgineo capiti decades dat quinque rosarum
Unaquaque die; vesani crimina mundi
Collapsamque fidem lacrymis hic deflet amaris.
Flagrat amore Pii, qui toti Pastor ovili
Consulit imperio, quem turba minacibus armis
Continuo exagitat vi tetri daemonis acta.
Semper habet nummum, quem fratri tradat egeno,
Frater amans,,.

(D.) "Redeunt lacrymae, dulcissime Mycon!
Humectantque genas, dum tristia damna recordor.
Tityre, surge cito, caros solare parentes,
Eja age, surge puer, dabo circum brachia collo. —
Me miseram! Immensâ vitiorum mole gravatos,
Qui rident monumenta crucis, florescere novi,
Viribus infractis morbos depellere saevos!
Dic, quae lucra ferant longaevae tempora vitae?
Vina Falerna bibunt, dapibus saturantur opimis,
Serica dant pigris, dant vestes byssina vela,
Marmore picta domus, celsis laquearibus aurum,

Plurima sollicitis argenti copia fulget
Heu corrasa dolo, furto corrasa latenti! —
Hi sibi, non aliis vivunt, vivuntque beati:
Tityrus occubuit, nulli pietate secundus!!„
(M.) "Deliras, mulier! Qui sidera torquet in orbem,
Et replet nivibus montana cacumina densis,
Et pingues onerat maturis frugibus agros,
Et parat apricis rubicundas collibus uvas...
Est solus sapiens et cunctis providet unus!
"Tu pulmenta coquis, tu foedas verrere sordes
Et gravidos nosti lino devolvere fusos.
Tu vaccis alimenta paras, et tu ubera mulges.
Lac vendis niveum, fers molles civibus herbas
In calatho, fructus, panes, e vite racemos.
Primâ luce vigil capiti tua pondera tradis,
Sarcina pressa datur, quem verbere trudis, asello.
Non imbres gelidi, non coelo fulgura lapsa
Te retinent, celerique gradu longinqua domorum
Limina cara petis: vincis mercede salebras!
Sero fessa redis, das lucra parata marito.
Accipe tantarum, felix! praeconia laudum;
Sed sape, blanda soror! prisci dixisse leguntur:
Sutor, non ultra crepidam! resipisce, quiesce.
"Omnis homo vivens infidum navigat aequor:
Nunc vada tuta silent, mulcetque Favonius undas,
Collucent radii solis, ratis unca movetur
Vi dulci, et cantant nautae pia carmina laeti:
Nunc mare turbatur rabidis Aquilonibus ictum,
Et fluctus resonant spumisque tumentibus albent,
Cautibus occultis allisa carina fatiscit,
Merguntur barathro disjecta cadavera vasto.
"Sunt dubii calles, sunt multa pericula vitae!
Tityrus hic noster felix certamine victor
Considet in portu, nunc merces servat in aevum!

[illegible]

[illegible] animo praesentia pharmaca fracto
Exagitant [illegible] lepores, silvasque fatigant.
Et thermas adeunt, et trudunt lusibus horas —
[illegible] levamen abest; recti solatia cordis
Sunt ignota malis! — cur multo robore pollent?
„Quaesieris, mulier,, cur circum tempora cani?
Diligit ingratos genitor supremus, et arcet
Funera: forte lavant divino sanguine vestem
Criminibus foedam, casto junguntur amoris
Foedere, solliciti repetunt radiantia coeli
Limina! Tanta Dei patientia commoda praestat! —
Sed prodest etiam temeraria turba malorum:
Nonne pii volumus circumdare tempora sertis?
Serta paranda cito, quae nullum deleat aevum.
Sed parat aeternas haec vitae pugna coronas;
Qui pugnes autem, nisi barbarus urgeat hostis?
Hostis adest: odio me diligis, impia turba!
Congredior tecum, vinco, mihi vindico coelum! —
Gens inimica cruci vitiorum gurgite mersa
Saepe bonum molitur opus; mercede carebit
Coelesti: dum vita manet, bona plurima terrae
Largitur Dominus! Quae dixi, mente voluta„.

(D.) Riderem, sapiens Mycon! ni flere luberet;
Non ego, quae profers, oracula rideo (stulta
Sum, sed vera probo), subrideo — parce loquenti —
Nulla tibi licuit versare volumina, Mycon!
Unde tibi agricolae praeclara scientia? Doctis
Accensebo virum mulier stultissima carum.
"Tityrus hic noster felix certamine victor
Considet in portu! nunc merces servat in aevum!„
Isthaec verba meo tribuunt solatia cordi.
Tityrus immiti cruciatus vulnere morbi
In duro jacuit lecto, tulit aequa dolores
Nescia mens flecti; lacrymas non fudit inanes,
Continuit gemitus, manui percara labanti
Lignea crux, olim parvis superaddita valvis;
Oscula vulneribus Christi felicia junxit,
Virginis erecta defixit in icone vultus:
Mater, ave — rogitans — et, mater amabilis, ora.
Imminet atra dies, metuendaque falce recurvâ
Mors vocat aegrotum, cui protinus impiger: adsum!
Subjicit, et nulla trepidans formidine Thyrsum
Advocat: hic culpae veniam largitur egeno
Divinasque dapes, oleo macilenta sacrato
Ungit membra manu, tandem pius ecce minister
Poenae etiam tribuit veniam. Pax ridet in ore
Justi blanda comes, promitque novissima verba:
"O Jesu, miserere mei!„ dat cereus ignes,
Quem tremulâ tangit dextrâ, melioraque nostris
Rura petit! — memoranda dies, quae labitur! hancce
Virgo parens ornat, quae nescia labis avitae
Laudibus immensis toto celebratur in orbe.
(M.) "Tityrus hic semper vixit moriturus, at eheu
Occumbunt multi, quos culpa coinquinat atrox.
Unda vorat mersos, flammâ crepitante cremantur,
Mucro transadigit costas, dant dira venenum

Pocula, praecipiti feriuntur fulguris ictu,
Comminuit laceros artus via ferrea curru.
Ut cupidi pisces hamo capiuntur adunco,
Argutae volucres falluntur casse tenaci:
Mors inopina secat fugientis stamina vitae!
Tabescunt alii, nec adesse pericula mortis
Ostendit medicus, vecors fiducia vitae
Decipit incautos; — alii praeclara recusant
Emolumenta crucis longum mansura per aevum:
Nec mora, finis adest — obscoena cadavera torpent,
Atque animae putres aeternis ignibus ardent!
(D.) Tityrus hic noster meliori sorte beatus
Fulgidus immensi coeli spatiatur in oris.
Non patet in speculo cari genitoris imago,
Praesentem videt; haud bello turbata minaci
Pax ibi semper ovat; fulgescit candida vestis,
Et virides agitat felix victoria palmas!
(M.) *Forte* agitat, Daphne, non posse recondita cœli
Nos homines lustrare oculis arcana, memento;
Saepe etiam latitant imi penetralia cordis!
Quot nemori frondes, quot vasto sidera coelo:
Tot naevis etiam mens recti conscia sordet.
Ardua promeritas minuit patientia poenas,
Nec raro obliterat prorsus — num Tityrus omnes,
Donec erat vivus, delevit? Dat quoque judex
Poenarum veniam! Decies qui mille talenta
Donavit precibus, num sustulit omnia prorsus
Debita defuncti? Titubat sententia, Daphne!
Spesque timore cadit! Si forte piantibus idem
Ardeat in flammis, nos ferre levamen oportet.
(D.) Filius est noster, quo non praestantior ullus!
Fundere mente preces juvat, edere voce parentes,
Non parcas, sed abunde juvat, dum montibus exit
Fulgidus, et rubeis dum sol immergitur undis.

Thyrsus amans aderit, superabit vindicis iram
Supplicibus votis, sanguis fundendus in ara
Exstinguet flammas, decades ter quinque rosarum
Virgineo capiti dabimus, reginaque coeli
Voce potens miseros solabitur ipsa parentes,
Leniet ardorem flammae, pia carceris umbris
Educet natum.
(M.) Tradetur nummulus Iro,
Panes, vina manus tradent opsonia nostrae,
Veste bonos inopes almoque fovebimus igne;
Hic labor in campis asperrimus, haec via praeceps
Heu totius carpenda tibi, quae ducit ad urbem,
Emolumenta ferent nato, feret horrida grando,
Unda tumens et flamma vorax, quae plurima nobis
Damna parant, et cruda juvant jejunia natum,
Et brevis in tabula somnus morbusque senectus.
(D.) Me tremor invasit subitus gelidusque per ossa
Currit, acerba cito memini tormenta bonorum —
Terribiles flammae!
(M.) Terrent incendia mentes!
Terrendo prosunt nobis!
(D.) Si dira veneni
Pocula non libo, procul absunt damna salutis;
Non me terret hians, cui non accedo, vorago.
Ars bene vivendi sapientia, morte magistrâ
Discitur. Haec citius vento, velocius umbra
Vita fugit, rapidis volvuntur tempora pennis.
Tu quoque disce mori, Mycon — jam sparsa capillis
Canities, frontem jam sulcat ruga senilis,
Jam rari dentes, baculus te firmat acernus.
(M.) Quid prosunt epulae nobis, quid vina Falerna,
Murice bis tinctae vestes pictumve lacunar,
Majorum series, thesauri, gloria vulgi,
Ni bene vixerimus? Rapit omnia munera terrae

[illegible]!
(D.) Melior, quem pallida [illegible] egestas.
[illegible] sit vita. Memento [illegible]!
[illegible] generis sua virtute [illegible].
(M.) Virtus una placet: [illegible]:
Virtus una manet: fugit irreparabile tempus:
Virtus una polos penetrat, comitatur euntes.
(D.) Quantae molis erit virtutes edere multas!
Hostis inest nobis et atrocia proelia miscet:
Heu quoties cadimus! sed debellare furentem
Numinis aeterni suprema lege jubemur.
Alma lucerna pedi semper divina voluntas!
Nec me terrebit dirae caliginis horror.
(M.) Sed nocet exterior quoque trux malesana propago
Daemonibus sociata feris — exercitus ingens
Turbidus exagitat variis assultibus orbem;
In Chaos antiquum confundimur! irrita legis
Auctoritas jacet, et vincti sunt compede multi.
Europa infelix, metuenda potentia turbae;
Sceptra ruunt, inimica cruci gens effera plaudit,
Usta oleo petrae cecidêre palatia multa,
Incensaeque cadent flammis vehementibus urbes!
Sanguinis effusi labentur flumina, Daphne!
(D.) Auribus excepi patruo referente Menalca
Impia Francorum molimina. Parva puella
Horrebam (memini), ferienda dedêre securi
Colla truci innumeri, delubraque cuncta silebant,
Vexillum vetuêre crucis, qui sceptra tenebant.
Non ego deliram reducem fore censeo gentem.
(M.) Spe laetâ erigeris: te fallax ludit imago,
Heu graviora senex nocumenta videbis adesse.
Gallia tunc gemuit, lacrymas nunc fundet amaras
Europae regio.
(D.) Sed forte beata latebunt

Rura, nec invenient hostes habitacula nostra.
(M.) Dulcia te vigilem delectant somnia, Daphne!
Hostis iniquus *adest* metuendus acinace tecto,
Praedonesque lupi per culta remota vagantur:
Vellus ovis simulant, quo decipiantur inermes.
Semina dant sulcis, et fruges horrea rumpent.
Plura tibi Thyrsus narret venerabilis, orat,
Condensantur, ait, nubes, micat ignibus aether!
(D.) Sit nomen Domini benedictum! tuta quiesco...
Est Deus in coelo, qui nutu temperat orbem,
Et capitis numerat crines et lilia vestit.
Non me sollicitam tenet anxia cura, quiesco;
Qui vitam tribuit nobis, servabit eandem!
Transadigant gladio costas aut pectora rumpant,
Tempora contundant ictus, et glande cerebrum
Perfodiant: moriar laeto certamine victrix!
(M.) Praeivêre duces (efferbuit ira Quiritum)
Exemplo celebres: pereunt mucrone feroci,
Immerguntur aquis, flammâ crepitante necantur,
Praecipites acti, lapidum sub grandine dira
Occumbunt hilares, pedibus calcantur equorum,
Sparsa cruore vorant immanes membra leones,
In cruce suspensi torquentur, et alta vorago
Contegit injectos, lassatur lictor, et ipsi
Devicti vincunt, et morte feruntur ad astra.
(D.) Sunt hominum vires infirmae; ni Deus adsit,
Sternimur, infelix video meliora proboque,
Deteriora sequor — sprevisse pericula visa
Mentis inops trepido, video nunc ostia cannae,
Quae glandem vibrabit atrox, gelidusque per artus
It sudor!
(M.) Redeunt flores et gramina campi
Vere novo, spicas gravidas rubicundaque poma
Torrida fert aestas, plenis tumet uva racemis

Auctumno: tu fide Deo, si sanguis ab hoste
Fundendus, vires acuet, qui proelia poscit!
(D.) Tityre, tu felix, non blanda voce lacessit
Te stimulus carnis, non te coenosa malorum
Colluvies torquet, non te moderator Averni
Decipit illecebris; te non pallescere culpâ
Novimus, et sacro te novimus igne calere.
(M.) Est tua certa salus, patrii tu limina coeli
Mox transibis ovans: nos per deserta vagamur
Incertis pedibus. Da nos contingere metam
Effusis precibus, sunt haec pia vota parentum.
Aurora interea cunctis animantibus almam
Extulerat lucem; condita silentia noctis
Colloquio dulci fugêre brevissima, membris
Robur inest, nec fessa gravi sunt lumina somno.
Corpora firmantur, si dentur pabula menti!
Mycon et Daphne surgunt et lumina torquent
In natum: Suprema damus tibi verba parentes
(Ingeminant moesti), capient te muta sepulcra,
Exuviae condentur humo, crux lignea testis
Invictae virtutis erit; sed buccina tandem
Perstrepit, et rursus cineres junguntur amici,
Spiritus in caros pernix illabitur artus!
Labitur in nostros etiam — mirabile dictu:
Vivimus, aeternum nexi laetamur in aevum! —
Excubiae vigilum praesente cadavere morum
Argumenta: probant, permulta tepescere corda,
Urbanasque domos fidei radiante lucernâ
Prorsus destitui. Sub prima crepuscula multi
Undique conveniunt, en pulvinaribus altis
Incubat exanimis, nigrescit ubique tapetis
Velatus paries, et circum lumina fulgent.
Immemor heu mortis temeraria turba cachinnos
Ingeminat tremulos, obscoenaque carmina raucis

Faucibus eduntur, stridet clamoribus aër.
Ut visco volucres, captant sermone puellas
Indomiti juvenes (genitrix heu pessima custos),
Futilibusque vacant ludis, spumantia vini
Pocula circumeunt, nimioque gravata liquore
Mens titubat trepidantque pedes et lingua laborat.
Vota deinde ferunt squalentia pectora coeno,
Et misero exstincto lenimina nulla parantur!

IDYLLIUM III.

CORYDON — LYCORIS — ALEXIS.

Iam nubes glomerata polo, demittitur imber,
Praecipitantur aquae, rapidis micat ignibus aether,
Et fracto reboant horrenda tonitrua coelo,
Sole repercusso terrae nox incubat atra,
Ecce domi Corydon fumum trahit ore tepentem,
Huic adversa sedet conjux dilecta Lycoris
Exoneratque colos, dum versat pollice fusum.
(C.) Grando nocet pluviaeque nocent et fulmina terrent:
Haec me sollicitum tenet anxia cura, Lycori.
En toties placuit Nicoti nobilis herba,
Nunc odi fumum... sunt terrae dona caduca,
Flamma ciet fumum, mox evanescit in auras,
Omnia labuntur; — rapido polus igne coruscat:
Omnia diffugiunt — nihil est, nihil ecce perenne!
Bustaque continuo sunt cunis proxima nostris!
(L.) Heu nec ego celeri devolvo pollice fusum,
Pensa coli gravidae vix decrevêre — sed ecce
Janua pulsatur digito! (festina Lycoris

Surgit, valva patet, stat cominus hospes Alexis).
(A.) Esurio sitioque diu lassusque madesco!
(C.) Fer panem et vinum, coque tunc pulmenta, Lycori!
Exue tu vestem, quae mox siccata redibit,
Huc ades: et reddent admota sedilia vires.
Allati panes allataque vina jacentem
Erexêre cito, stomacho pulmenta tulêre
Robur, et hospitio renovatus gnavus Alexis
Talia voce refert:
(A.) Quae praemia debita reddam?
Egregii pietate homines fovistis egenum!
Non tantis meritis ego digna rependere dona
Infelix valeo: qui totum temperat orbem,
Praemia larga dabit. Gravidis decorentur aristis
Pinguia rura, ferat vindemia laeta racemos,
Nesciat ista domus tetri contagia morbi,
Dent vobis vitulos, dent vaccae munera lactis,
Et foetae pascantur oves simaeque capellae!
Sera pias istas immiti falce tabernas
Mors ineat, tandem pernicibus aëra pennis
Findite felices aeterna sede locandi!
Hospes conticuit, sed moestum lacryma vultum
Irrigat, exardet vehementi pectus amore.
Obstupuit Corydon, votis commota Lycoris.
(C.) Ecquis es? unde venis? sermonibus exsere multis:
Crede mihi, laribus tu felix advena nostris.
Non ego te novi, tamen est in corde voluptas.
(L.) Te praesente metus, te pellitur anxia cura:
Tristabamur enim, quum saeviat atra procella,
Heic consiste. Quies relevabit corpora lassa,
Tecta colonorum non praebent mollia strata,
Conscia mens recti largitur ubique soporem.

(A.) Ignotus vobis ego tanto hoc munere dives?
Sed si latro forem?
(L.)Non latro, vir bonus es tu.
(A.) Permulti simulant virtutem!
(L.) Vir bonus es tu.
Te produnt oculi, non fallor, vir bonus es tu.
(C.) Votis cede meis, nobis tua fata rogatus
Cuncta refer: facilesque tibi praebebimus aures.
(A.) Caerite sum natus, justi genuêre coloni,
Parva domus, paucae pecudes, et curta supellex,
Parvae molis ager: sed erant hac sorte beati;
Nulla soror, nullus frater mihi — parcite linguae:
Rura colebamus natus, pater; impigra mater
Continuo regina domus, assueta labori.
Et fervebat opus, semper concordia felix!
Incubuêre polo nubes, feralia bella
Exarsêre. Codrus rex noster amabilis eheu
Terga dedit: Priamus duro certamine victor
Barbarus in nostras illabitur ignifer oras.
Raptantur pecudes, campi vastantur, et ardet
Parva domus. Genitrix morbo cruciata feroci
Occubuit, patrem viduum macilenta senectus
Abstulit. Heu tristem jubeor renovare dolorem;
Quantâ solus ego post tot discrimina rerum
Aerumnâ obruerer, nunc vos censete, sodales.
Nox erat, et lunae mirabar lumina blandae,
Lucida caerulei mirabar sidera coeli,
Et dulci collata polo tunc bella subibant
Tristia (sed quaeso nunc stultae parcite linguae):
Tunc ego praecipiti, tunc sacro percitus aestu
Immemor ipse mei tacitas rapiebar in auras.
Eja age rumpe moras! (lacrymis sine voce querebar),
Eja age rumpe moras! An non vilescere terram
Sentis, et hoc tempus velocius ire sagittis?

Omnia laetantur: superest pars maxima nostri!
Una manet quaerenda tibi, totamque beati
Carpe viam coeli — minimi tunc caetera fient.
Non te terrebunt rabidi jejunia ventris,
Non furibunda sitis crucians tua guttura flammis.
Non lacerae vestes, nigri fuligine postes,
Clandestina cohors et tetri carceris umbra,
Pugio transadigens costas! Oracula pensa:
Omnia vincit amor! — Subitâ tunc mente recordor,
Quae subière pii Benedictus, *) Alexius olim
Heroës virtute viri tormenta tot annis.
(Iste diu latuit patriae sub tegmine scalae
Ignotus, languens illum cruciavit egestas
Semper). Ovant ambo coeli nunc sede recepti,
Sanctorumque choris aeterno foedere juncti
Carmina laeta canunt Patri carissima dulci.
Nunc ego vestra premam pedibus vestigia certis,
Sit mihi cura sequi — Deus ecce juvabit euntem.
Omnia vincit amor! —
        Repeto mea limina pernix,
Otia quaero tori, sed somno lumina claudi
Non potuisse, scio. Roseos aurora colores
Explicat: igne calens ad templi convolo valvas,
Cuncta sacerdoti peccata recenseo gnavo,
Quumque sacrum Domini corpus latitaret in ore,
Spondeo: mendicum me suscipe, Christe redemtor!
Donec vita manet!
        Patriis digressus ab oris
Oppida lustro, vias, stipe sum contentus egenus,
Frigora me torquent, ardores perfero solis,

*) Labre.

Aerumnasque pedum, stultae convicia turbae.
Rara domus valvas aperit, praebetque roganti
Strata: timent eheu mutata veste latronem.
His ego deliciis felix mendicus Alexis.
(C.) Te rapuit coelum, tibi sentibus aspera vita
Paestanis tribuet meliora roseta beato.
Macte nova virtute puer, — contingere metam
Multos saepe vetant fastidia lenta laborum.
(A.) Exitus acta probat — finem posuisse labori
Sit mortis! Capiti dabitur mansura corona!
Taedia me capiant: pavido nova robora cordi
Dat Deus omnipotens!
(L.) Metuo, ne forte saluti
Hac vitae ratione cito nocumenta parentur.
Infirmae vires hominum, nimioque gravati
Pondere succumbunt humeri. Jam pallor in ore —
Sunt anni fragiles — aderit rugosa senectus!
(A.) Me juvenem nunquam morbus cruciavit acerbus,
Sum forti genitore satus, patiensque laborum,
Indomitae vires, aetas non fracta virilis.
Illita saepe rosis facies urbana puellae:
Verum incerta salus, est aeger anhelitus ipse.
Enervant cives epulae sine fine paratae:
Villicus incolumis, qui carnibus astinet. Ecce
Tot fortes obeunt, macilento corpore multi
Protraxêre dies. Tenuant jejunia sensus,
Non rapiunt vires — et cultor Paulus eremi
Panibus et solis semper radicibus usus
Plures quam centum vitae renovaverat annos.
Non comedit carnes Carmeli turba beata,
Atque brevem somnum duro super assere carpit,
Aspera saevit hyems frigusque perambulat artus:
Pluribus ecce datur longaevi temporis aetas.

Corpora tabescunt vitiis temerata nefandis:
Candida dat virtus celeberrima pharmaca membris.
Si jubet ire Deus, vires tribuentur eundi.
(L.) Effluit ore tuo sapientia filia coeli,
Nil temere timideque nihil, verum omnia semper
Consilio et virtute! placent tua verba, sed ecce
Si domino famulus pacta mercede subesses,
Arva colonorum valido bove fortis arares,
Exciperesque lubens torrentia spicula solis:
Hic labor aerumnis accenseretur, et idem
Esset amor — mulier sum stulta et malo doceri.
(A.) Esset amor, verbis assentior, at minor esset —
Aerumnae trutinâ pretium libratur amoris.
Qua ratione potens domino servire colono
Noluerim et nolim, nunc accipe, gnava Lycori!
Tollere ad astra manus, me semper voce roganti
Sollicitare Deum juvat, ut delicta retundat
Auxiliumque ferat, fessis det surgere rebus.
(L.) Possunt ecce preces cuncti sociare labori.
Cara Deo soboles almo generatur amore:
Et labor est frater, soror est oratio supplex.
(A.) Si quando celeres exurunt oppida flammae,
Dant miseri miseris obolos, meliore beati
Sorte parant vestes, nummos, alimentaque largi,
Plurima fert auri congesto pondere dives
Munera: criminibus foedatur terra nefandis,
Tartareis flammis infelix ardet — aquarum
Imbribus injectis superanda ferocia flammae.
Verba parum prosunt, *exempla* procacia ridet:
Est *precibus* quaerenda salus, quaerenda *dolore*;
Quo major mensura precum, mensura doloris:
Emolumenta etiam miseris majora paramus.
Fundere corde preces multas, dum vita manebit,
Aerumnasque pati multas, dum vita manebit,

Sit *labor* iste meus, mea sit jucunda voluptas.
Hinc nolo famulus domino servire colono,,.
(C.) Nobis agricolis docto sermone dedisti,
Quae sancti docuêre viri, fideique magistri:
Est *labor* in precibus, sunt *otia* saepe labores!
Amramides in monte sedet, subjectaque vallis
Exercet spatiosa ducem, funesta cientur
Proelia: Dum Moses attollit in aethera palmas,
Israêl est victor, palmae lassantur, et ecce
Vincitur — hinc socii sustentant brachia circum,
Donec sol obiens alto se gurgite condat:
Gens Hebraea redit claro certamine victrix,
Carmina laeta canens. Supplex oratio vicit!!
Est *labor* in precibus, multis felicior armis!!
Villicus arva colit, medicus dat pharmaca morbo,
Erudiunt juvenes sapienti voce magistri,
Laudibus extollit, quas vult extrudere merces,
Mercator, pelagi moderatur vela per undas
Nauta, parat mulier cupido jucunda palato
Fercula; turba sitit: propinant vina tabernae,
Indefessus homo vigilat, desudat et alget:
Hic mercede vacat labor, est haec irrita prorsus
Sollicitudo gravis, *si* frigida corda graventur
Letali culpa, sunt ista negotia vana.
Unus amor labor est: haec sint oracula nobis.
(L.) Aerumnis etiam virtus tribuenda laboris!
Bruma rigebat iners, contractaque membra coacti
Igne fovebamus, quum vesper adesset opacus;
Et nova saepe foco me lingua dedisse puellam
Ecce senex memini; torquebat pollice fusum
Mater amans, genitor lepidis sermonibus horas
Trudebat — sed rumpo moras ambage remota —
Acta recensebat sanctorum, plurima nobis,
Quae prisci subiêre viri, tormenta magister

Narrabat sapiens, arrectis auribus omnes
Mirabamur. Ave glomerata corona virorum,
Quos tenet aeterni sublimis regia coeli!
Nunc tormentorum coepi mysteria nosse:
Et minuunt poenas, et cingunt tempora sertis,
Dant etiam precibus vires, fiuntque potentes.
Est dolor ecce labor!
(A.) Salve pretiosa Lycori!
Uberiora dabo, dociles advertite mentem.
Virgo fuit celebris (felix Germania mater)
Agricolis generata bonis: *Emerica* vocatur.
Arva, colus, pecudes — hos virgo puella labores
Sedula sustinuit semper carissima cunctis.
Insignis pietate preces effundere multas,
Et lustrare frequens altaria, carnibus Agni
Vesci, solari miseros, lenire piantes
Alterius flammas aevi. Penetralia sacri
Ter felix iniit claustri, latuitque beata
A reliquis semper vexata sororibus insons.
Evertit truculenta manus pia septa, sorores
Ejectae, tutis excessit ovilibus *Anna*
Ad meliora soror certamina tracta. Repente
Vulneribus Christi signata manusque pedesque
Et latus apparuit. Mens in contraria fertur:
Isti haerent, illique negant, sed plurima praestat
Turba fidem, varioque lubens examine torta
Virgo — dolos tandem tacitae mendacia fraudis
Nulla subesse probat felix sententia lata.
Continuo cruciata gemit celeberrima virgo
Morbo, continuo torquentur membra dolore,
Continuasque preces accenso pectore fundit.
Accedunt medici, morbus medicamina vincit —
(Morbus amore satus, morbi coelestis origo)
Ars hominum despecta jacet: vestigia Christi

Intemerata manent, eademque videre beatus
His oculis merui. Virgo venerabilis ecce
In duro lecto noctesque diesque jacebat,
Donec eam tulerit supremae nuntia mortis
Laeta dies. Multos iuterrogo: Quis labor Annae?
Vixit iners! dicunt. Semper sententia constat:
Nulla recensebit, quamvis doctissima fandi,
Innumeros, miros Emericae lingua labores.
Est precibus regina potens, regina dolore,
Eripuit tot oves ex faucibus una luporum,
Continuit tot oves in caulis, docta fefellit
Insidias structas, et certa pericula vitae
Arcuit, et duros novit depellere morbos.
Hac ratione aliis demsit tormenta dolorum!
Iam nubes fugêre graves, imberque recessit,
Astra micant coeli formosaque luna renidet.
Laetantur cuncti tenduntque ad sidera palmas,
Dat senibus pia verba bonus, discedit Alexis.

IDYLLIUM IV.

LEUCOTHOE — CHLORIS — THYRSUS

Festa dies agitur summo carissima coelo,
Festa dies agitur, qua totum sparsa per orbem
Progenies Christi meritos indicit honores
Coelitibus cunctis. Populi spectante corona
Veste nitens alba venerabilis ore sacerdos
Divinis cumulavit ovans altaria donis.
Iam sermone potens uberrima verba salutis
Auribus arrectis retulit, certamina dura

Laudibus extollens aeternaque praemia coeli.
Templorum patuêre fores, quum parca dedisset
Mensa parata cibos, allapsaque turba piorum
Angelico cecinit dulcissima carmina Pani,
Virgineae Matri concordi voce rosarum
Quinque tulit decades — Condit sol aequore flammas,
Fit sonitus turrisque gravis campana movetur,
Lugubresque modos tacitas effundit in auras;
Cordaque protracto jamjam clangore premuntur
Saucia.
(L.) Docta placent harum discrimina vocum:
Nola sonos hodie laetissima reddidit auri
Civibus aeternae patriae pia carmina ludens —
Nunc eadem plorat. Sapiens facundia nolae
Nuntia tristitiae nostrae! Reminiscimur eheu,
Innumeras animas rabidis cruciatibus angi!
(Chl.) Scilicet esse locum, campanae voce docemur,
In quo dant homines deterso crimine poenas.
Luget ibi genitor genitusque, maritus et uxor,
Mater, nata, soror, frater, benefactor, amicus —
Ecce recrudescunt immania vulnera cordis.
Multis saepe quidem felici occumbere leto,
Protinus ire datur per amoena palatia coeli:
Rara nitet sine labe clamys, morientibus amplam
Dant veniam poenae, sed cordis vasa minora
Non capiunt imbres, redimendaque poena superstes,,.
(Nec mora, Thyrsus adest, oblonga veste sacerdos,
Fronte oculisque gravis, cui circum tempora cani,
Innixus baculo, macilento pallidus ore;
Tecta subit, manui dant oscula filia Chloris,
Leucothoë mater).
(Th.) Laudetur Christus Iësus!
Pastor oves inviso lubens — quo lumina fletu
Manant? sum medicus — quae tanti causa doloris?

(L.) Thyrse pater, lacrymosa dies nunc imminet, eheu
Imminet atra dies! Homines moriuntur, iidem
Facta luunt! Miseros sententia lata severi
Judicis exercet!
(Chl.) Dat finem poena doloris,
Sed nullo sermone licet describere poenam!
(Th.) Quae dabo sollicito vestro solatia cordi?
Non est orta Deo, sed daemonis arte vocata
Pallida mors, superest deletae filia culpae.
Filius aeterni Patris descendit in imas
Factus homo terras; generis reparator acerbo
Funere perdomuit mortem. Clangore tubarum
Excita consurgent dispersa cadavera, vitae
Reddentur cineres — haec nos oracula mulcent.
(L.) Alma Fides (memini) spes nunquam pascit inanes,
Sed poenae subeunt, quas carceris irrogat horror,
Carceris illius, qui lustrat vindice flamma
Peccati sordes, ac tollit vindice flamma
Relliquias omnes detersi criminis. Eheu
Hujus imago subit metuendi carceris, ecce
Me tremor invadit subitus, gelidusque per artus
It sudor!
(Chl.) Permulta pati cognoscimus igni
Immersas animas. Ferrato carcere clausae
Eminus aeterni radiare palatia coeli
Norunt, sed nequeunt onerosa compede vinctae
Limen adire Patris, magnis penetralibus abdi.
Esuris atque sitis, verum libare vetaris
Et vitreos latices et opimae fercula mensae;
Viribus attritis premeris gravitate soporis,
In molli strato componere membra vetaris;
Jactatur tumidis Aquilonibus icta carina,
Tutus adest portus, nautas appellere naves

Saeva procella vetat, dulci removentur ab ora:
Non ego, qui torquent animas, librabo dolores.
Extorris patriâ, quae tot sibi cara reliquit,
Mente volutat — amor tristantis conjugis, almus
Ingenuusque puer, formosa puella, roseta,
Arva, botri, pecudes... haec omnia saepius (inquam)
Sollicitam subeunt mentem, sed ecce vetatur
Lege referre pedes patriaeque revisere turres —
Tantum supplicium quî possim reddere verbis?
Sed mansura scio praecellere dona caducis;
Aerumnas igitur spes nondum sede potita
Coelesti (memini) perferre jubetur acerbas!!
(Th.) Leucothoën, Chlorin felix ego diligo pastor.
Septem prisca viros laudavit Graecia, stulti
Collati vobis sapientibus ecce fuerunt.
Est coelo delapsa Fides, sapientia vestra
Est donum Christi! Gaudete — morantur in orbe,
Qui vescuntur adhuc humanis carnibus, atque
Numina ficta colunt. — Animarum, quae patiuntur,
Heu tristes placuit vobis evolvere casus;
Hinc lenire juvat cruciati vulnera cordis.
Qui punit judex, solatur amore parentis,
Gaudia tristitiae sociavit! Vos mala tantum
Censetis: censenda simul bona — promere libram
Nunc juvat, et lanci bona tradere multa sorori.
(Chl.) Laetari tristes, nullo sermone magister
Nos unquam docuit — discendi gaudia, Thyrse!
Me gravis ardor habet.
(Th.) Tristantes animae flammis uruntur amoris,
Seque placere suo penitus *didicêre* parenti:
Nos vero miseros haec certa scientia nunquam
Blanda comes sequitur, dum vitae carpimus auras,
Nosque placere Deo tantum *confidimus* eheu!
Certa salus etiam tristantibus, omne per aevum

Se fore vicinas caro novêre parenti:
Nostra salus anceps, et quotquot vivimus, una
Spes fovet aeternae, non certa scientia vitae.
Tristantes animae jam sunt tentante probatae,
Nullus adest hostis: nos autem proelia terrent,
Infestantque caro, scelerati, daemones omnes.
Tristantes animae, quae semper amore trahuntur,
A recto nequeunt unquam deflectere calle,
Certus amor semper: quae lingua recenseat omnes
Errores hominum? Tot sunt peccata, quot undae
Immensi pelagi; sanctosque coinquinat ipsos
Culpa levis — non est nisi Mater amabilis una,
Quae semper fuerit cujusvis integra labis!
Suppliciis animae torquentur, at omnis earum
Continuo fit poena minor: leviora malorum
Pondera nos urgent, hinc poena gravissima ferme
Immutata manet. Veteres dixêre magistri:
"Gutta cavat lapidem, non vi sed saepe cadendo!,,
Gutta dolor noster: dic poenis debita vasa
Quando replebuntur?
Poenis cruciantur acerbis
Tristantes animae, nihilominus ecce volentes
Subdunt colla Deo: rara est patientia nostra,
Saepius est rabies, excandescentia, sica!
Ecquid adhuc addam? Quo delectatur amore
Moesta caterva precum! Festivos concinit hymnos
Corde calente Deo, dignasque rependere grates
Ambit ovans Patri, quem supplice voce fatigat,
Ut tribuat nobis aeternae munera pacis:
Nostra hominum vero parca est oratio, pauca
Tradit avara manus, cor heu non consonat ori,
Dona damus vitiata Deo. — Sic accipe, Chlori,
Accipe, Leucothoë, melioris pondera lancis.
(L.) Fortunate senex, rerum fandique perite,

Fons es largus aquae, viridi circumlita musco
Saxa lavas. Animas non posse rogare salutem
Nobis, heu dudum decepta Valente putabam
Imbecillis anus, sed nunc meliora probabo.
(Th.) Qua nixus ratione Valens te fraude fefellit?
(L.) "Dant poenas animae, privat virtute rogandi
Poena, preces nati patrato crimine plexi,
Qui rogat, ut fratri donentur munera caro,
Nonne pater damnat?,,
(Th.) Te *blanda* voce fefellit!
Nescio, cur sontes privet virtute rogandi
Poena; preces effundit *amor!* Si filius ille
Diceret: "Ecce luo patrato crimine poenam,
Quam merui, dilecte pater! sed munera fratri
Da quaeso, quae poscit amor,, — ni ferreus essem,
Praeberem faciles (mihi credite) vocibus aures.
At si verba daret; "Nolo parere jubenti,
Posco tamen, dilecte parens! ut munera fratri
Larga feras,, — ratione potens ego ferreus essem.
(L.) Haec mihi dicta placent, nunc vero caetera pande:
Agni sponsa preces animarum nullibi poscit,
Sanctorum poscit! Quid respondebo Valenti?
(Th.) Posse animas precibus nobis prodesse, magistri
(Crede mihi) semper docuêre, exempla piorum
Consensêre, viri sancti, quos Regia coeli
Continet, hasce preces petiêre, fidelibus illas
Facundo calamo commendavêre, nec unquam
(Annales referunt) haec vota redarguit ullus
(Chl.) Cur igitur nunquam patientes invocat Agni
Sponsa animas? Redeunt haec semper verba rogantis:
"Aeternam requiem dona, lux luceat illis!,,
(Th.) Tu ritum venerare sacrum, sapientior est te
Agni Sponsa. Placet manibus divellere nodum,

Non gladio; tu, Chlori! meam nunc accipe mentem:
Verba rogant, quoties Sanctorum advolvimur aris,
Et quoties animas ritu reminiscimur, illas
Facta rogant. Misero si panem tradis egeno,
Traditus hic panis nonne est oratio supplex?
Dicis enim (meditare precor): Do tibi panem,
Verum redde preces: animae patiuntur egenae,
Suppetias praebes, dicunt solatia lata:
Vos virtute precum nobis benedicite semper.
Corripitur morbo, quam toto pectoris aestu
Diligis, infandis cruciatibus ossa laborant,
Heu sine luce focus, qui pharmaca praebeat ori,
Nullus adest, versetque torum. Misereris egenae,
Dulcis amica volas, prudens ancilla ministras,
Immemor ipsa tui memor es patientis, et ecce
Nullam poscis opem *verbis*... en imagine demta
Nos animabus opem ferimus, nos tempore eodem
Poscimus auxilium nobis sine voce loquentes.
Quin etiam rogitare vetat sapientia *verbis:*
"Pluribus intentus minor est ad singula sensus,, —
Hinc si poscat opem verbis ecclesia, turba
Fors animas leviora pati tormenta putaret,
Fors etiam posset succurrere tarda labore.
Noveritis quoque, Sanctorum praecellere coetum,
Illorumque sequi lento vestigia passu
Tristantes animas. Sanctis regnantibus ergo
Est major tribuendus honor, patientibus autem
(Crede) minor; Sanctos igitur rogitare loquendo,
Languentes animas praestat rogitare silendo:
Sed dum labra silent, (mihi credite) facta loquuntur.
(Chl.) Erudis eximio tu nos sermone magister,
Sunt dulces lacrymae, quae labebantur amarae,
Conquirant homines argenti pondus et auri:
Est melior nobis adamanda pecunia, Thyrse!

(Th.) Uberiora dabo — dum spiritus hos regit artus,
Labitur en tempus, supremaque funeris hora
Temporis est finis, nec tempus limina transit
Alterius vitae. Sunt nostro lucra labori,
Est merces merito tribuenda — nec ulla merentur
Tristantes animae sibi praemia dulcis amoris.
Heic sibi fusa parat rutilantes lacryma gemmas:
Nulla datur fusis lacrymis ibi lucida gemma.
Heic leviore gravem poenam tenuare labore,
(Crede) levem graviore datur quatiente flagellum
Numine.
Non possunt animae *sibi* lucra parare,
Aerumnas precibus relevare *suas*: patet autem,
Hanc homines precibus metam contingere posse.
Tandem larga penum judex Ecclesia promit
Poenarum veniam tribuens; nanciscimur *ipsi:*
Ipsae animae nequeunt nancisci!
(Chl.) Dulce doceri;
Effluit ore tuo saliens per gramina rivus,
Ardentem levat unda sitim. Me temporis hujus
Sollicitudo tenet, terrentque pericula vitae,
Pallida mors terret, metuendi carceris ignes
Corde voluto, tremunt artus, vox faucibus haeret.
(L.) Leucothoë timeo venturi judicis iram,
Consenui dudum, mors imminet atra foresque
Pulsabit.
(Th.) Nolite graves in pectore curas
Versare, in coelis Pater est, qui diligit omnes.
Est quaerenda salus, meritis confidite Christi;
Spes socianda comes, orituraque fulgida sole
Alma dies animas educet carcere multas,
Et multas eadem relevabit — ovemus, amicae!

IDYLLIUM V.

DAEDALUS, AEACUS, CASSIOPE.

(D.) Aeace, flere licet — relevantur corda, dolorum
Vis furiosa minor;
(A.) Rueremus pondere pressi,
Ni quando lacrymis turgerent lumina multis.
(C.) Imbellis mulier tanto solamine dives!
(D.) Vita referta malis: clauduntur vocibus aures,
Luce carent oculi, puerorum lingua vetatur
Reddere vincta sonos, nares privantur odore,
Pes brevior, mutilata manus, contractaque membra,
Vultus deformis, morborum turba, senilis
Ruga — domus ustae, demersae turbine puppes,
Fulgura lapsa polo, sol torridus, imber aquarum,
Horrida grando, seges vastata, racemus egenus,
Aegrotae pecudes, ejecti montibus ignes,
Stramine texta domus, tellus concussa fragore,
Urbs aequata solo, bellorum tetra flagella,
Cruda fames, lacerae vestes, orbata parente
Infelix soboles!
(A.) Frater, leviora recenses;
Heu graviora pati miseranda sorte jubemur.
Corporibus praestant animae... potiora quis unquam
Deplorare potest animarum damna? Lacunas,
Errores offert stolidae sapientia mentis.
Haec tacuisse juvat... sed turpia crimina cordis
Enumerare placet: Fidei doctrina negatur,
Tollitur ipse Deus, post mortem nulla voluptas,

Nullum supplicium, mors ultima linea rerum.
Donec vita manet, quaerendi nominis ardor,
Illecebrae sensus, auri argentique cupido —
Tres edunt fontes manantia flumina tabo,
Eheu continuo toto spatiantur in orbe.
Omnia turbantur, respublica fracta vacillat,
Bella gerunt populi, funduntur sanguinis eheu
Torrentes, languent cives, violentiá jus est.
(C.) Electi numero pauci, nam turba malorum
Est major, sine lege furit, vesania passim
Incrementa capit... sternetur caede sacerdos,
Rex et dives opum, truculento vivimus aevo,
Me taedet vitae, felix, quem morte vocatum
Aeternae patriae condunt meliora vireta.
Consenui mulier, labetur praepete pennâ
Vita brevis; generosa quidem solatia praebent
Effusae lacrymae, sed spes sitibunda futurae
Mercedis potiore tenet dulcedine corda.
(D.) Aequora me rapiunt, quae nullis concita ventis
Strata silent; rapiunt montana cacumina mentem,
Quum revocata rubet fulgens Aurora; beatus,
Frigora qui captat, meditatur arundine carmen;
Qui transit vocale nemus, dum gutture docto
Argutae volucres edunt modulamina cantus...
Daedalus exsulto cunctis felicior unus,
Quum spectare licet nocturni sidera coeli!
Gramina dant sedem, fessusque labore diei
Dum reparo vires, tranquilla silentia voces
Non rumpunt ullae, leni movet aura susurro
Arboreas frondes, placidoque latentia rivus
Murmure saxa lavat... me major lumina tollo,
Metior immensos orbes numeroque carentes...
Mens stupet, immotus sedeo, vox faucibus haeret!!
(A.) Ecce tamen loqueris, quum non est copia fandi!

Est Deus immensus, nobis Deus ultima meta,
Coeli cara domus quaerentibus ultima sedes!
Lumine captus ovat, cui solis cernere lucem
Sorte datur... densâ terrae caligine septus
Aethereas oras, ubi lux aeterna coruscat,
Aspicit, ac faciem Patris, cui cominus adstat...
Contemplamur opus, dum nos hic continet orbis,
Ast illum, qui fecit opus, cognoscere Sancti
Mente queunt: speculo rerum formatur imago,
Res non redduntur... divina potentia fulget
In mundi speculo, dum vitae carpimus auras,
Ipse potens vero se coeli civibus offert!
Quanta oritur nobis hoc fonte scientia! Multi
Multa sciunt... hominum sapientia nubila nox est,
Sanctorum rubicunda dies, illi didicêre
Noctes atque dies, isti uno temporis ictu;
Et subeunt doctis multarum oblivia rerum,
Quae sancti peperêre, manent immota per aevum!
(C.) In coelo minimus doctos supereminet omnes!
Hi tamen inflantur, nos parvi pendimur eheu,
Me miseret tanti fastus miseretque virorum...
Crux liber est ingens, hoc delectemur, et omnes
Erudit; hoc demto locuples farrago librorum
Commoda nulla parat... semper discamus amorem,
Et breviore via dabitur sapientia nobis!
Omnia diffugiunt, quum leto occumbimus, unus
Non timet almus amor violentae spicula mortis!
Non heic tutus amor, semper ferus infremit hostis:
Est infesta caro, soboles infesta malorum,
Daemonis exardet rabies... certare jubemur
Et puer et juvenis, vir, femina, nupta, puella,
Decrepitique senes, dum vitae labitur aetas.
Nunquam blanda quies, metuenda pericula semper,
Laurea serta comis sunt heic virtute paranda:

Pax ibi semper ovat, foliis felicis olivae
Est redimita caput, tenet almam dextera palmam.
Nullus ibi pacem turbat furialibus armis...
Sternitur hoc corpus, caro solvitur, abdita busto
Ossa manent cineresque manent, et spiritus unus
Liber ad astra volat — cineres ac ossa coibunt,
Quum suprema dies tumulis exire jubebit
Corpora, verum aberit peccati fomes in aevum.
(D.) Alter abest hostis soboles infesta malorum...
Gens inimica Deo tenebroso conditur antro,
Infelix ululat, sedes invadere coeli
Vellet... livor iners cruciat, mordetque catenas
Incassum furiosa cohors! Procul ite profani,
Qui sacram Domino gentem vexastis iniquis
Legibus et calamo, versutis artibus, armis!
"Prima abière!,, placent Sanctis haec dulcia verba,
Torta quiescit ovis! sed vos sententia terret,
Tortoris cessavit opus!... Nunc daemones, ite
Vos etiam, vos ite procul, rugite leones,
Horrida vox altam coeli non fertur in arcem,
Moenia tolluntur, vetitique accedere portis
Ite procul, vos ite procul, nam "prima abière!,,
(A.) Efferus hostis abest, hinc nunquam proelia fervent,
Classica rauca silent, ibi non transverberat hasta
Vi metuenda latus, vibrata sagitta per auras
Pectora nulla ferit, non sanguine vulnera manant...
Pax ibi semper ovat, rex omnibus imperat unus,
Dulce jugum Domini non est qui ferre recuset.
Quî possint summi calcari jura parentis,
Mens ibi nulla capit. Via vitae scinditur hujus,
Suntque duo calles biviique pericula summa,
Hic dextrâ mavult, illi placet ire sinistrâ...
Sanctis una placet via, qua duce semper it[illegible]

Laetantur, flammas adamant vehementis amoris.
(C.) In coelum raptus vidit mysteria Paulus,
Quae nostrae linguae nequeunt describere verba;
Est divina manus mercedis prodiga summae!
Da mihi cunctorum sublimibus alta columnis
Marmore picta gravi pretiosa palatia regum,
Da gemmas omnes, argenti pondus et auri,
Thesauros omnes, quos totus continet orbis:
Nil habeo... sed verus amor, sapientia vera...
Hac mercede frui semper... Deus, o Deus, unde
Unde mihi miserae tantarum copia rerum?
(D.) Non merces eadem Sanctis... qui semina campo
Larga dedêre, metunt spicarum munera larga;
Et leviora manent leviorem dona laborem.
Ecce Patris facies patet omnibus, omnibus inquam,
Nec tamen illa modo spectatur prorsus eodem.
Si plures niteant radii, si cominus adstes,
Clara tuis oculis rerum praebetur imago;
Vespera si minuat lucem, si longius absis,
Luminibus rerum species offertur opaca.
Ecce Deum cuncti redamant, unius amoris
Non calor est unus... dictis advertite mentem...
Nonne trium juvenum septemplice flamma calore
Arsit, ligna, bovem, lapides pia flamma voravit
Lapsa polo precibus Carmeli monte stupente?
(A.) Est Deus in coelo, qui sidera torquet in orbes,
Arboreasque comas movet, obtutu videt uno,
Quod fuit, et quod erit, quod nunc est, corporis expers,
Omnis origo boni supremaque juris origo,
Omnia qui complet, spatiis non clauditur ullis,
Praemia dat rectis et sontes vindice poena
Mulctat, nec genitus nec factus fine carebit.
Intueor solem, feriuntur lumina: solem
Aeternum... sed mole gravis cado, non capit undas

Concha maris!
(C.) Jesum Christum spectabimus omnes!
Cur te non vidi, stabulo quum natus egeno
Praesepis foenum premeres, Herodis ob iram
Aegyptum profugus peteres, multosque doceres
Templi doctores, mutatis vina parares
Fontis aquis, latitansque in celsi vertice montis
Candidior nivibus par soli luce niteres?
Cur te non vidi, quum caro conditus horto
Supplex orares, tumidus quum sudor in artus
Iret, quum rigidi lacerarent tergora funes,
Spina infixa caput torqueret tempora, frontem,
In cruce penderes moriens, validique retusa
Palmas atque pedes terebrarent cuspide clavi?
Quo feror? In coelo te sponsum sponsa videbo,
Non habitu servi... tu quondam fabula vulgi
Rex ibi Christe sedes aeterna luce coruscans,
Quanta cicatricum mihi gloria, Christe, patebit!
(D.) Est regina poli sanctissima Virgo Maria,
Quam non infecit contracta ab origine labes,
Quae semper nituit servata lege parentis,
Ne leviore quidem foedavit pectora culpa,
Virgo Dei genitrix, quam flamma suavis amoris
Eripuit vivis, radiis sol aureus ambit,
Cujus serta caput bissenis inclyta stellis
Ornant, luna subest pedibus, quibus atra venena
Calcatus coluber spumosis faucibus edit.
Nos oculi nunquam te vidimus, o pia Virgo,
O regum soboles, qua non felicior ulla,
Paucis visa parens, dum fausto numine rapti
In coelum precibus flammato corde vacabant.
Affore spero diem, qua vitae stamina mortis
Falce resecta cadent, qua tersa labe piorum
Agminibus sociabor ovans, a

Virgineum, manibusque sacris dara blanda licebit
Oscula... cara dies aeterno fulgida sole
Huc ades, alma dies... me jam fastidia longi
Exilii capiunt... patrias illatus in oras
Te, generis columen nostri, venerabor in aevum!
(A). Coetus angelici, magnae sine corpore mentes,
O generosa phalanx, coeloque draconibus actis
Turba ministra Dei, laeti numeroque carentes
Formosi juvenes, vibrati remige penna...
Salvete... est vobis generis custodia nostri
Credita, vos homines per tot discrimina rerum
Ducitis incolumes, a vitae limine fidi
Solliciti comites. Domini vos carmine cunas
Cantastis vigiles, summo data gloria Patri,
Pax homini; fortunatam petiistis eremum
Jejuno Domino laturi munera mensae.
Quumque metu trepidans tacito latitaret in horto,
Atque preces lacrymis vacuo sociaret in antro,
Et sudor gelidus fractos pervaderet artus:
Angelus infusis recreavit viribus Agnum.
Angelus e superis regionibus advolat, ejus
Vestimenta nives, imitantur lumina fulgur,
Protinus accedit tumulo, lapidemque revolvit,
Vivere victorem Dominum, nec adesse, ferocem
Perdomuisse docet mortem. Quum nube curuli
Astra levis peteret, Genii testantur, eundem
Esse reversurum... nos coetibus affore vestris
Speramus tandem, procerum venerabilis ordo!
(C.) Omnes Sancti homines antiqui foederis, olim
Quos poenae expertes taciti custodia Limbi
Detinuit, Domino vastas praeeunte per auras
Sidereas arces petiêre, novisque recepti
Sedibus aeterna sociantur pace beati.
Praeteriêre cito ter sex jam saecula cursu,

Quot numero Sancti, qui Christi sanguine foedas
Mundavêre stolas, sociis felicibus illis
Successêre! domus cunctos amplissima jungit.
Quot numero Sancti rutili penetralia coeli
Ingredientur adhuc, donec sit temporis hujus
Ima dies finem captura! Canente Joanne
Coelorum sacras fortunatasque phalanges
Non ullus numerare potest, impervia nostrae
Plurima sunt menti. Qui condidit omnia verbo,
Omnia qui radiis illustrat saecula, solus,
Quot sint in patriae felici sede locandi,
Mente capit. Tantis adscribi civibus et tot
Civibus, o fratres... sed tantae gloria laudis
Carmine non canitur! Quî montis pondera ferre
Possit homo, summas attingere vertice stellas?
Bissenos video, dum felix lumina tollo,
Discipulos Domini... Romanus concidit Orbis
Quassatus virtute crucis, populique feroces
Subdunt colla Deo, bissenis alta columnis
En nova consurgit moles, Capitolia cedunt,
Roma Petri sedes toto dominatur in orbe.
Te video, generosa cohors, quae sanguine fuso
Victima cara Deo Christi pia dogmata firmas,
Vortice mersa maris, flammis crepitantibus usta,
Durae affixa cruci, lacerataque dente leonis,
Mole sepulta gravi, gladio truncata minaci,
Funere gens major, quam daemonis ira cruenta
Vincere non potuit... tua semper tempora lauri
Exornant, virides attollit dextera palmas.
Te video, numerosa phalanx, cui cruda pepercit
Carnificum rabies, nocuit tamen ira tyranni...
Compede vincta diu, diris contusa flagellis,
Pulsa domo, spoliata bonis, mordacibus icta
Opprobriis, vexata fame, celata cavernis,

Frigore torta gravi, soboles inimica Deorum,
Uni sacra Deo... longo certamine victrix
Dicis Io Pater, et Virgo, Rex Christe Redemtor!
(D.) Quisquis iter coeli carpit, perferre labores,
Et mala multa pati divina voce jubetur.
Noster pugnat amor, sunt proelia nostra dolores,
Deleta culpa redimenda est poena superstes...
Poena dolor. Poenis exercebantur ubique
Insignes homines, nullo non tempore poenas
Quaesivêre etiam, lapso tentamine vitae
Incolumes gaudent! — Ultricibus abdita flammis
Gens lacrymosa, piis te verbis alloquor ultro,
Progenies dilecta Deo, quae segnior olim
Nunc pateris graviora... preces, patientia nostra,
Multaque Santorum prosunt solatia vobis.
Vincula rümpuntur, patet exitus, aëra findunt
Coelorumque tenus festivo laeta triumpho
Agmina tolluntur; Sancti venientibus ecce
Occurrunt hilares, fratrum se more salutant.
Ex quo porta patet coeli, sic itur ad astra,
Donec summa dies ferro et compagibus arctis
Bissenas claudat portas.
(A). Non ore magistri
Erudiunt pueros Sancti, non castra sequuntur,
Non lites dirimunt, non aegris pharmaca praebent,
Non coëmunt merces, non scindunt vomere glebas,
Non pascunt agnos, non sulcant aequora nautae,
Non quaerunt nummos, non plectunt crimina sontis...
Prima abiêre... canunt sociatis vocibus hymnos.
Quot, quantae voces! Tanti modulamina cantus
Aures non capiunt hominum, concordia vocum
Felix, et variis effusum vocibus unum
Carmen in aethereis coelorum personat aulis,
Spirituumque replet mira dulcedine sensus.

Nec mora nec requies, protractum carmen in aevum
Taedia nulla movet... fervens oratio carmen!
Laudant ore Deum, quo sunt auctore beati,
Virtutemque crucis fidibus plectroque potentes
Atque cicatrices lateris manuumque pedumque
Extollunt Domini, renovato carmine dicunt
Virgineam Matrem, quae puri nuntia Solis
Aurora enituit, divino proxima Nato
Nunc Regina sedet cunctis venerabilis una.
Laudant ore Deum, qui verbo condidit orbem,
Orbis totius sapiens moderatur habenas,
Quem mens nulla capit... sed reddere carmina vobis
Infelix nequeo densa caligine mersus.
Nil sibi turba petit thesauris semper abundans
Omnibus, at nobis aeternae dona salutis
Expetit.., ecce videt securo condita portu
Eminus in vasto certantes aequore nautas,
Et fragiles rapido quassatas turbine puppes...
Et lubet extemplo pia cordis promere vota,
Ut fugiant nubes, ponant lassata furorem
Marmora, vel saltem spirent clementius Austri,
Et nautae impavidi moderentur vela per undas.
Sunt prope nos Sancti, quamvis videantur abesse.
Fervet amor Fidei, supplex oratio prodest!
(C.) Fundunt ore preces homines quoque, saepius autem
Mens ignava silet, subeunt negotia vitae,
Cor simile est cauti, rivi sitiuntur aquarum,
Rara placet, languescit iners oratio nostra,
Est humeris pondus, non vero cara voluptas,
Ut pueri loquimur, quamvis aetate gravemur;
Deme librum, jam labra tacent, non discimus artem
Orandi... miseri sane... rarissimus orat!
Labra movere diu non est orare, precumque

Nonnisi continuo virtus addiscitur usu.
    Infremuêre lupi, non illos verba coërcent,
Quae facunda facit cultae sapientia linguae;
Antrorum (mihi crede) ferae virtute fugantur,
Qua pollet labiis effusa calentibus orta
Corde bono locuples oratio. Da mihi turmas,
Da multas (inquam) tanta virtute potentes,
Aeace (crede mihi), coelum terramque movebo.
Si possunt homines precibus sibi tanta parare
Munera, quanta preces labiis coelestibus ortae
Emolumenta ferent! Mihi narravêre magistri,
Quos inter Thyrsus venerabilis ore sacerdos,
Volvit ubi primas Athesis celeberrimus undas,
In tenui pago nuper vixisse Mariam*).
Virgo cicatricum Domini decorata rubore
Aethereas penetrat sedes, immobile corpus,
Cor flammis ardet, plena mens luce coruscat
Aeterni Solis, coelestis in ore venustas,
En flexis haeret genibus manibusque supinis,
Labra silent semper, defixaque lumina torpent,
Non validus clamor, non rauca tonitrua turbant
Occlusas aures; quae nulli obtemperat, una
Voce sacerdotis nostras revocatur in auras.
Si nos tanta rapit fidibus celebranda Mariae
Gloria semper adhuc nostro latitantis in orbe:
Cui dulcedo patet, qua coeli turba triumphans
Mente ciet generosa preces? Cui larga bonorum
Vis reserata patet precibus diffusa benignis?
Felices citharae, felicia carmina coeli!
Nos eheu terrae soboles ignobile carmen

*) Mörl.

Arte rudes pueri tenui modulamur avena.
Barbite cara veni viridi circumdata lauro,
Et feriam docto resonantia pollice fila.
(D.) Sanctorum sedes in magni vertice montis
Prominet, urbs tantae molis (memorabile dictu),
Ut fervens hebetet nostram meditatio mentem.
Urbs quadrata patet, quam circumcingit iaspis,
Unumquodque latus sexcentis tenditur horis,
Et ternae gemmae sunt fundamenta locatae.
O quantae gemmae! sed concido pondere pressus!
Centum et bis vicies tolluntur moenia circum
Et quatuor cubitis, sed moenibus altior urbs est,
Utpote quae pariter sexcentis tollitur horis.
Bissenae portae, portarum cuilibet una
Margarita datur, capies cujuslibet amplam,
Moenia si spectes, molem; sunt strata viarum
Aurea, celsarum series concinna domorum.
Ecce auro rutilat puro, nox humida nunquam
Praecipitat coelo, non indiget igne lucernae,
Non solis radiis urbs Agni lumine splendens.
Quanta luce Dei resplendeat ignea, Saulus
Novit, cui fulgur Domini cito lumen ademit.
An mihi felici pulcherrima porta patebit
Coelorum? Semper dubiis torquemur acerbis,
Spes anceps hominum, sed spem formidine pulsa
Vitae servabo comitem; qui fervet amore,
Non timet irati flagrantia fulmina coeli.
(A.) Corpore constat homo, cui foedere spiritus icto
Jungitur, est vero brevis haec concordia, morte
Solvitur in partes homo, torpida membra sepulcro
Conduntur multis gratissima vermibus esca,
Et remanent cineres viduataque carnibus ossa.
Non moriturus homo moritur, quia filius Adae,
Qui primam stultus legem violavit in horto.

Mors mortem domuit, tanti virtute triumphi
Non moriturus homo feralia busta relinquet.
Haec veniet memoranda dies, qua buccina clanget,
Et cunctis eadem regionibus aere canoro
Humani generis finem narrabit adesse;
Et vivent omnes homines ab origine mundi
Defuncti, numeroque carens exercitus ecce
Adstabit solio divini judicis, ecce
Electae turmae Domino praeeunte beatis
Aeternae patriae potientur sedibus, ecce
Urbis claudentur portae. Sed corpora cerno...
Luce micant Agni, radiantia corpora cerno...
Quis fore censeret tanto fulgore corusca
Corpora? Tanta rapit me copia lucis, obortae
Perfundunt lacrymae vultum.
(C.) Non morbus ibidem,
Non dolor est ullus, non mortis dira tyrannis,
Nulla fames et nulla sitis, non fracta labore
Membra, sopor nullus, non tardae corpora molis,
Fulguris instar eunt gravitatis lege remota,
Quo mens ire jubet, tunc spiritus imperat unus,
Corpora spiritui penitus subdantur oportet.
Tanta rudis mulier prodo miracula rerum,
Sunt portenta Dei!
(D.) Miseri quasi iuminis orbi
Praetentamus iter baculo penetralia coeli
Lustrantes, nisi cara Fides deducat euntes.
En sua corporibus fore gaudia, novimus omnes
(Nam totus gaudebit homo), sed gaudia nemo
Mente potest trutinare sua; renovata vigebit
Terra, novos coelos Petro praeeunte magistro
Exspectamus, amor mutati protinus orbis
Divitiis potietur ovans... sine fine beatus.
(A.) Sancti semper erunt, semper sine fi[illegible]

Gaudia nulla forent coelo, nisi fine carerent!
Nullus finis erit, semper laetabimur omnes!
Adversis rediens vox collibus assonat: omnes!
Est merces aeterna Dei mansuraque semper,
Consonat omne nemus, vox "semper,, redditur auri.
(C.) Multa movent animo, qui dona fugacia quærunt...
Sed cor non satiant longo male parta labore.
O vanas hominum curas! Noctesque diesque
Desudant, algent... manibusque tenentur arenae.
Labra quidem rident, sed crudo pectora morsu
Dilacerata gemunt, non est pax alma scelestis.
Bella gerunt reges, ut regna potentia condant,
Innocuosque premunt, circumdata tempora lauro
Non prosunt vobis extrema funeris horâ.
Regna labant terrae, coelestia regna manebunt.
Quidquid agis, prudenter agas, et respice finem,
Est finis coelum! Quod nos avertit ab illo,
Damna parat; gazas cui crux supereminet omnes,
Est unus sapiens!
(D.) Te summis laudibus orno,
Virgo Cassiope, nos mulcent aurea verba
Labris fusa tuis.
(C.) Licuit mihi reddere verba
Dilectae matris, cujus nunc laeta recordor;
O pia mater ave, dudum te busta recondunt,
Sed mihi semper ades. Memini, lassata labore
(Vesper erat) recubabat humi prope rustica tecta,
Matris ego lateri vicina puella sedebam,
Carpebantque manus in molli gramine flores.
Lumine me blando spectans venerabilis annis
Flere videbatur, sed mox his vocibus orsa est:
Filia Cassiope, nunc sum viduata marito,
Una mihi superes, mihi terminus imminet aevi,
Quae te fata manent? Cu[illegible]cta relinquam?

Est Pater in coelis, est Mater Virgo Beata!
His te commendo, memori sub pectore conde,
Quae do verba tibi. Nunc splendes flore juventae,
Languebunt flores, quos colligis, haecce juventa
Est peritura brevi; noli confidere sanis
Artubus, absumunt morbi fortissima membra,
Absumunt curae, mors tandem corpora caedit.
Haec terra exilium, fugit irreparabile tempus,
Uni vive Deo, noli peccare, sed... ecce
Lumina sparsa polo, quae mox taciturna micabunt,
Sidera te doceant, quae meta sit ultima, quaere
Aeternam patriam, quae nunc peregrina vagaris.
Conticuit genitrix, oculis non defuit imber,
Tantus amor flammis ussit mea pectora, matris
Continuo libuit dare circum brachia collo.
Est servire Deo, tunc moesta voce loquebar,
Dulce jugum, supremus honor, mercedis origo
Aeternae, pugnabo ferox, dum vita manebit,
Et dabitur tandem felici occumbere leto.
Nec mora mater amans mihi dono tradidit istam,
Quam nunc promo crucem, dicens: Hoc accipe lignum,
Crux Domini pons est, quem nos transire jubemur,
Cis pontem mundus, trans pontem patria coeli,
At sub ponte (inquam) protenditur alta vorago.
Attoniti stupuêre viri, vox faucibus haesit.
"Terra vale coelumque veni!,, virgo insonat ore,
Et placuit sociis geminatas reddere voces.

IDYLLIUM VI.

NESTOR, EUPHROSYNE, AEGIALE.

(Aeg.) Bruma riget, nunc vesper adest, dent ligna calorem
Usta foco... jucunda quies generata labore.
Huc ades, Euphrosyne, scamno sociabimur uno,
Tertius accedat Nestor capiatque sedile
Vimine contextum, tantum tribuamus honorem
Asperso canis, rerum fandique perito.
(N.) Aegiale semper ludit sermone faceto!
Parco tibi, mulier, flores juvenilibus annis,
Non te sollicitant curae, regina coquinam
Una tenes, domui solers alimenta ministras,
Te mala cuncta latent, quibus astu daemonis aetas
Infelix premitur.
(E.) Nestor, cur pungis amicam?
En tibi dat lacrymas, sibi vero gaudia servat,
Et sua cuique placent... dirimit sententia litem.
(Aeg). Nestor acu pungit, pungendo ridet, amicus
Noster erit semper multisque suavior unus.
Nestoris aure bibam dulcissima verba magistri,
Delector meliore cibo regina coquinae.
(N.) Ingenio sum tardus homo, sed tertius Ordo
Francisci me multa docet. Si gesta referre
Sanctorum liceat, quibus hicce inclaruit Ordo,
Parta dabo; semper rapiebar amore legendi.
Ecce mihi nuper clarus virtute sacerdos
Obtulit indocto pretiosa v[illegible]um

Hoc magni facio. Nocturna silentia quaero,
Immersusque libris stupeo, cor ignibus ardet.
Una salus servire Deo... sunt icones illae,
Quas oculo mentis contemplor, in Orbe magistrae
Tironesque docent. Aquilas admiror hirundo...
Tangere continuo montana cacumina vellem,
Linquere tecta vetor, quum languor inhaereat alis.
Sed pennis didici majores addere vires:
Exercenda diu vigilique labore voluntas!
Da vitium vitio: te compede vinciet usus...
Ferrea, si certes, rumpentur vincula tandem.
Omnia flamma vorat, labor improbus omnia vincit!
(E.) Dulce sub arboribus radio captare calente
Frigus, et in viridi prosternere gramine membra,
Ducere villosas ad pascua laeta capellas,
Et vitreos latices sitientibus indere labris,
Et nemorum volucres arguta voce canentes,
Et blandos audire modos resonantis avenae:
Dulcius ecce tuis aures advertere verbis.
(N.) Verba movent, exempla trahunt, et saepe cadendo
Gutta cavat lapidem. Varias delatus in urbes
Pictor imaginibus, quas lumine lustrat acuto,
Et vultus hominum melioribus edere formis,
Et flores, campos, animantia, litora, tecta
Tiro bonus didicit potiori lege colorum
In tabulis renovare suis: ecclesia vivis
Pollet imaginibus numeroque carentibus... omnes,
Quotquot in orbe sumus, spectare jubemur easdem,
Virtutemque pii discamus oportet amoris!
(Aeg.) Non iter est nobis faciendum, rustica tellus
Docta palaestra patet; panduntur ubique locorum
Templa, docet mutus paries, dant iconas arae,
Et subeunt animo dilapsi temporis anni.

Quot numero Sancti, qui Christi sanguine foedas
Mundavêre stolas, sociis felicibus illis
Successêre! domus cunctos amplissima jungit.
Quot numero Sancti rutili penetralia coeli
Ingredientur adhuc, donec sit temporis hujus
Ima dies finem captura! Canente Joanne
Coelorum sacras fortunatasque phalanges
Non ullus numerare potest, impervia nostrae
Plurima sunt menti. Qui condidit omnia verbo,
Omnia qui radiis illustrat saecula, solus,
Quot sint in patriae felici sede locandi,
Mente capit. Tantis adscribi civibus et tot
Civibus, o fratres... sed tantae gloria laudis
Carmine non canitur! Quî montis pondera ferre
Possit homo, summas attingere vertice stellas?
Bissenos video, dum felix lumina tollo,
Discipulos Domini... Romanus concidit Orbis
Quassatus virtute crucis, populique feroces
Subdunt colla Deo, bissenis alta columnis
En nova consurgit moles, Capitolia cedunt,
Roma Petri sedes toto dominatur in orbe.
Te video, generosa cohors, quae sanguine fuso
Victima cara Deo Christi pia dogmata firmas,
Vortice mersa maris, flammis crepitantibus usta,
Durae affixa cruci, lacerataque dente leonis,
Mole sepulta gravi, gladio truncata minaci,
Funere gens major, quam daemonis ira cruenta
Vincere non potuit... tua semper tempora lauri
Exornant, virides attollit dextera palmas.
Te video, numerosa phalanx, cui cruda pepercit
Carnificum rabies, nocuit tamen ira tyranni...
Compede vincta diu, diris contusa flagellis,
Pulsa domo, spoliata bonis, mordacibus icta
Opprobriis, vexata fame, celata cavernis,

Frigore torta gravi, soboles inimica Deorum,
Uni sacra Deo... longo certamine victrix
Dicis Io Pater, et Virgo, Rex Christe Redemtor!
(D.) Quisquis iter coeli carpit, perferre labores,
Et mala multa pati divina voce jubetur.
Noster pugnat amor, sunt proelia nostra dolores,
Deleta culpa redimenda est poena superstes...
Poena dolor. Poenis exercebantur ubique
Insignes homines, nullo non tempore poenas
Quaesivêre etiam, lapso tentamine vitae
Incolumes gaudent! — Ultricibus abdita flammis
Gens lacrymosa, piis te verbis alloquor ultro,
Progenies dilecta Deo, quae segnior olim
Nunc pateris graviora... preces, patientia nostra,
Multaque Santorum prosunt solatia vobis.
Vincula rumpuntur, patet exitus, aëra findunt
Coelorumque tenus festivo laeta triumpho
Agmina tolluntur; Sancti venientibus ecce
Occurrunt hilares, fratrum se more salutant.
Ex quo porta patet coeli, sic itur ad astra,
Donec summa dies ferro et compagibus arctis
Bissenas claudat portas.
(A). Non ore magistri
Erudiunt pueros Sancti, non castra sequuntur,
Non lites dirimunt, non aegris pharmaca praebent,
Non coëmunt merces, non scindunt vomere glebas,
Non pascunt agnos, non sulcant aequora nautae,
Non quaerunt nummos, non plectunt crimina sontis...
Prima abiêre... canunt sociatis vocibus hymnos.
Quot, quantae voces! Tanti modulamina cantus
Aures non capiunt hominum, concordia vocum
Felix, et variis effusum vocibus unum
Carmen in aethereis coelorum personat aulis,
Spirituumque replet mira dulcedine sensus.

Nec mora nec requies, protractum carmen in aevum
Taedia nulla movet... fervens oratio carmen!
Laudant ore Deum, quo sunt auctore beati,
Virtutemque crucis fidibus plectroque potentes
Atque cicatrices lateris manuumque pedumque
Extollunt Domini, renovato carmine dicunt
Virgineam Matrem, quae puri nuntia Solis
Aurora enituit, divino proxima Nato
Nunc Regina sedet cunctis venerabilis una.
Laudant ore Deum, qui verbo condidit orbem,
Orbis totius sapiens moderatur habenas,
Quem mens nulla capit... sed reddere carmina vobis
Infelix nequeo densa caligine mersus.
Nil sibi turba petit thesauris semper abundans
Omnibus, at nobis aeternae dona salutis
Expetit.., ecce videt securo condita portu
Eminus in vasto certantes aequore nautas,
Et fragiles rapido quassatas turbine puppes...
Et lubet extemplo pia cordis promere vota,
Ut fugiant nubes, ponant lassata furorem
Marmora, vel saltem spirent clementius Austri,
Et nautae impavidi moderentur vela per undas.
Sunt prope nos Sancti, quamvis videantur abesse,
Fervet amor Fidei, supplex oratio prodest!
(C.) Fundunt ore preces homines quoque, saepius autem
Mens ignava silet, subeunt negotia vitae,
Cor simile est cauti, rivi sitiuntur aquarum,
Rara placet, languescit iners oratio nostra,
Est humeris pondus, non vero cara voluptas,
Ut pueri loquimur, quamvis aetate gravemur;
Deme librum, jam labra tacent, non discimus artem
Orandi... miseri sane... rarissimus orat!
Labra movere diu non est orare, prec

Nonnisi continuo virtus addiscitur usu.
Infremuêre lupi, non illos verba coërcent,
Quae facunda facit cultae sapientia linguae;
Antrorum (mihi crede) ferae virtute fugantur,
Qua pollet labiis effusa calentibus orta
Corde bono locuples oratio. Da mihi turmas,
Da multas (inquam) tanta virtute potentes,
Aeace (crede mihi), coelum terramque movebo.
Si possunt homines precibus sibi tanta parare
Munera, quanta preces labiis coelestibus ortae
Emolumenta ferent! Mihi narravêre magistri,
Quos inter Thyrsus venerabilis ore sacerdos,
Volvit ubi primas Athesis celeberrimus undas,
In tenui pago nuper vixisse Mariam*).
Virgo cicatricum Domini decorata rubore
Aethereas penetrat sedes, immobile corpus,
Cor flammis ardet, plena mens luce coruscat
Aeterni Solis, coelestis in ore venustas,
En flexis haeret genibus manibusque supinis,
Labra silent semper, defixaque lumina torpent,
Non validus clamor, non rauca tonitrua turbant
Occlusas aures; quae nulli obtemperat, una
Voce sacerdotis nostras revocatur in auras.
Si nos tanta rapit fidibus celebranda Mariae
Gloria semper adhuc nostro latitantis in orbe:
Cui dulcedo patet, qua coeli turba triumphans
Mente ciet generosa preces? Cui larga bonorum
Vis reserata patet precibus diffusa benignis?
Felices citharae, felicia carmina coeli!
Nos eheu terrae soboles ignobile carmen

Culpa malum summum, sed dicam rectius unum.
(F.) Verba tibi metuenda, soror, mea terga rubescunt
Vulnere crudeli. Quid agam? Mihi gaudia tollis
Omnia?
(G.) Pone metum, sancto pariuntur amore,
Fortunata soror, si gaudia quaeris amoris!
Sunt mansura, soror, sunt omnibus obvia semper,
Quid superest homini revolutis arte choreis?
Ignavus torpet! Festina revertere, quaeso,
Auxilio suffulta Dei te plura docebo.

IDYLLIUM II.

GEMMA, FLORA.

(F.) Corde volutabam tantae pia verba magistrae,
Me fateor didicisse; probo, quae carmine digna
Ingeniosa doces... vitabo theatra, choreas,
Gaudia divini semper quaerantur amoris!
(G.) Si quem culpa gravat, premit altum corde dolorem,
Pallor in ore sedet, turbataque lumina torpent:
Conscia mens recti nullis obnoxia curis,
Seu morbi subeant, seu mordeat aspera lingua;
Subdere, Flora, Deo, placido mulcebere vento.
Do bigas aliis, do fercula, pocula, thermas,
Do mollem lectum, do vestes murice tinctas,
Do gemmas omnes, laqueataque tecta, racemos
Et segetes — mihi servo Deum, quo glorior uno —
Haec est orta Deo sapientia cordis amantis!
(F.) Se quaerunt omnes, nolunt contingere metam,

Quae Deus est; hinc pace carent ac omnia turbant.
Heu ruit in praeceps hominum malesana propago,
Et soboles sobole pejor, nunc labitur aetas
Ferrea, nulla gravem relevant medicamina morbum.
(G.) Deme supercilio nubes, velocior Euro
Vita volat, gaudere lubet, dum carpimus auras!
Pacis origo Deus! thesaurus amabilis unus!
Non silet ore Deus, vox toto personat orbe;
Assuescant homines audire et reddere voces.
Felices aures, felicia labra, beata
Otia colloquii sacri! pretiosior auro
Labitur hora brevis, superat dulcedine mella!
(F.) Gemma soror sapiens montana cacumina scandit,
Tendit iter pennis! Sed non intelligo Flora,
Quae mihi verba refers, Domini non audio voces.
(G.) Vox Domini, quod fecit, opus! Dum facta loquuntur,
Ipse Deus loquitur!
(F.) Sed dic, quî facta loquantur.
(G.) Exemplis pateant, quae sunt arcana. Coquinam
Tu regis imperio — *lignis* permulta doceris:
Arbor ligna dedit, quae corruit icta bipenni,
Arbor staret adhuc, si fructus larga tulisset,
Ligna foco pereunt — torquebitur igne perenni
Morte resectus homo, qui non ditatur amore.
Lignum tolle foco, vehemens exstinguitur ignis:
Folle fidem, tenuatur amor, stant frigore corda.
Ligna cient flammas: verbis exaestuat ira,
Quinque ruunt urbes coelestibus ignibus ustae,
Flamma vorat stipulas, frugum conduntur acervi.
Continuo da ligna foco, cremat omnia flamma:
Non satiatur amor. Figuli fornace probantur
Vasa; probant aurum flammae: patientia multis
Aerumnis oritur. Vento compescitur ignis,

Si tenuis caleat, boreas incendia saevus
Dira fovet: vix ortus amor superatur ab hoste,
At longaevus amor certa virtute phalangas
Conterit audaces, nullo prosternitur ausu.
Ignem conde sinu, vestis comburitur: eheu
Concidis exanimis, si sponte pericula quaeris.
Carmina tres pueri ferventibus undique flammis
Sacra canunt, capiti superadditur ignea lingua,
Fervet apostolicus flammato pectore coëtus.
Vincitur ignis aqua: porrecta pecunia vincit
Turpe nefas.
(F.) Dic, unde tibi sapientia, Gemma?
Arrecta stupet aure soror.
(G.) Pretiosa metalla
Montibus effodiunt, argenti copia nunquam
Exhauritur, amor nemorosi viscera montis
Continuo terebrat — tenues vanescit in auras
Igne vapor natus, qui panditur ore camini:
Vita volat praeceps, mortique advolvitur atrae.
Divitiae fumo similes, rapiuntur ab hoste,
Pauper inopsque jacet pridem circumdatus auro;
Et piceo fumo quaesiti aequantur honores,
Saepe virum celebrem spinosa calumnia torquet;
Deliciae fumus, lacrymas male parta voluptas
Saepe ciet. Summi superare cacumina coeli
Ausa scelus glomerat tumidi vesania fastus:
O utinam pereat ceu tetra volumina fumi!
Quae sale conditur, molli placet esca palato:
Una Fides cordi tribuit divina saporem;
Et virtute salis caries inimica recedit:
Corpora servat amor, non interitura resurgent.
Sordes lympha lavat: delentur sanguine Christi
Crimina; non facies, sed corda lavemus oportet.
Fons viduatus aquâ vatum mendacia carpit

Verba; sitimus aquam: sitiamus amoena salutis
Munera; nequidquam populo clamante Pilati
Unda manus lavit; scelerum punitor acerbus
Indomitis undis hominum genus omne perire
Iussit; homo graditur, curvum premit amphora tergum
Dives aquae, penetratque domum, triclinia bini
Discipuli inveniunt Jesu; sedet ecce Redemtor
Ad puteum, mulierque venit, facilique labore
Fonte perennis aquae Domino monstrante potitur.
(F.) Si mihi carbaseas, si vestes murice tinctas,
Si gemmas digito, si longa monilia collo
Larga dares, minimi fierent haec munera, Gemma!
Fers mihi plura soror, mihi fers majora! Facetae
Lumina bina diu, sed nox inimica nitorem
Eripuit solis! Spectant animantia terram,
Quae ratione carent, mulier ratione potita
Par brutis tantum, quae sunt propiora, videbam;
Os homini sublime dedit, qui condidit orbem:
Altius ascendam pennis coelumque tuebor!
(G.) Laudabo Dominum, qui te calefecit amore!
Quem comitantur opes, elata fronte tumentem
Despicit, elisos tollit, miseretur egeni.
Fortunata dies, quae te fugientia terrae
Spernere, te docuit mansura capessere dona!
Salve, cara soror, te Floram jure vocabo,
Carpet enim flores, quos coeli continet hortus,
Ingeniosa manus; — sed nunc da floris odorem
Naribus (oro) meis! oculis nunc prome colorem!
(F.) Nascor ego, desunt vires, matura labori
Non sum, parce mihi.
(G.) Facit experientia doctum,
Audaces fortuna juvat... gallina loquatur!
(F.) Ut pullos gallina ciet sociatque sub alis:
Sic homines in corde suo complectitur omnes

Salvator mundi, latebras aveamus oportet
Divini Cordis! Non illas daemonis atrox
Perturbat rabies! Ibi fornax ignibus ardet,
Da mihi scintillam, Jesu, moriarque beata.
(G.) Jam Domini voces audire et *reddere* nosti,
Audaces fortuna juvat! nunc prome canentem
Gallum.
(F.) Flere jubet Petrum, quum voce secunda
Arguit immemorem Jesu; peccata lavemus
Effusis lacrymis.
(G.) Uni caveamus amori:
Funeris hora latet, moriemur forte vocati,
Dum rumpit gallus tranquilla silentia noctis.
(F.) Bos dominum novit, quia foeni pabula profert:
Ampla mihi, Jesu, praebes alimenta salutis,
Te sero didici, sed nunc redamabo, roganti
Parce precor.
(G.) Vitulum memini, quem torruit ignis,
Hospitibusque dedit pietas invicta parentis,
Quum nato faceret convivia lauta reverso:
Heu quoties miseri penetralia dulcia Patris
Linquimus, incerti per devia multa vagamur!
Nos pudet errorum, patriae revocamur amore,
Oscula dat fronti, dat circum brachia collo
Placatus genitor, dat sacrae fercula mensae.
(F.) Non ullum laedit, mollique in gramine ludit
Agnus, pastorem novit sequiturque vocantem,
Tondetur tacitus, mutus jugulatur: en omnes
Discimus immensum Domini morientis amorem,
Ac torpere hominum brumali frigore corda.
Est amor in verbis, heu raro proelia tentat!
Agne Dei, miserere mei, miserere meorum!
(G.) Poscenti piscem coluber non traditur unquam;
Evomuit piscis Jonam, quem condidit alvo;

Pisces rete tenet, rete est ecclesia Christi,
Servantur sani, putridi jaciuntur in undas;
Aeraque celantur dapibus fallacibus unca,
Et capiunt pisces: qui pollent robore, saepe
Mors inopina rapit.
(F.) Coelo demittitur imber,
Omnia pontus erant, arcaeque egressa fenestra
Prima columba redit, mox advolat altera navi
Laeta tenens rostro ramum felicis olivae —
Intereunt homines, et vindicis ira quiescit!
Fert nocumenta scelus, poenas timeamus Averni.
(G.) Multa farina domi, vatisque recordor Eliae,
Vas plenum viduae, donec sitientia nimbos
Arva novos biberent. Corrasa pecunia Croesi
Non coëmit panes, si morbo spica laboret;
Tristantur segetes, quum foeta superbia legem
Conculcat pedibus.
(F.) Claro nitet igne lucerna,
Si infundas oleum, pedetentim deficit alma
Lux oleo viduata suo: non ardet amoris
Flamma, nisi precibus multis alimenta parentur.
Vasa tument oleo, magni successor Eliae
Succurrit viduae, redduntur debita, mater
Cum pueris nutritur inops. En nomen Jesu
Assimilant oleo: lux est, medicina cibusque.
(G.) Tu virtute scopae sordes conclavibus aufers:
Lex Domini semper sit cunctis semita vitae,
Sint graviora procul peccata, Deoque favente
Conemur fortes, quae sunt leviora, cavere.
Culpis nemo vacat, sit verrere corda voluptas!
Ecce Dei voces audire et reddere voces
Ingeniosa vales: venerabilis ecce magistra,
Una coquina tibi; tu nunc intellige, quanta
Emolumenta ferat spatiosus maximus orbis.

Vox Domini: quod fecit opus! mirabile dictu:
Semper opus loquitur, semperque loquetur in aevum!
Saxa, lacus, fontes, torrentes, flumina, pontus,
Gramen, arista, nemus, flores et poma, racemi,
Alpes et colles, grando, nix, ventus et imber,
Lux, tenebrae, nebulae, nimbusque, tonitrua, fulgur,
Porta, domus, speculum, lectusque, sedilia, mensae,
Os, oculi, dentes, aures, caput, esca, merumque,
Pes, digiti, stomachus, morbi, medicina, soporque,
Immensum spatium, numeroque carentia late
Sidera sparsa polo — rebus vox omnibus una!
At surdi Dominum nequeunt audire docentem,
Et muti nequeunt labiis effundere voces;
Pars hominum major simul aure laborat et ore.
(F.) Annumerabar ego tot decumbentibus aegris,
Hic modus orandi mihi sit carissimus, ipse
Commoda multa parat — facilis, brevis atque suavis.
(G.) Tu rem tangis acu — fit coelum, terra theatrum!
Lumina nostra vident, quae sunt pulcherrima, verba
Excipiunt aures, quae sunt dulcissima, semper
Noctes atque dies ac anni tempore toto
Haecce theatra patent, et nemo arcetur ab illis,
Non opus est nummis, accedunt Croesus et Irus,
Virgo sacra Deo, matrona, puella, sacerdos.
Ecce breves facilesque preces, sunt cara labori
Otia sollicito, sunt grata sedilia lassis.
Nonne moras nectit, vitreo dum fonte viator
Aut spumante mero candentia guttura mulcet?
At redeunt vires, montana cacumina scandit!
Si nimium tendis, curvatus rumpitur arcus,
Alma quies non turbat opus, sed nulla retardat.
Multi saepe precum nequeunt evolvere libros:
Sunt oculis capti, languescunt lumina morbo,

Impubes artem fors non didicêre legendi;
At quod fecit opus totius conditor orbis,
Pendere mente queunt, cor sacris urere flammis.
Fundimus ore preces, sed non advertimus aures:
Sollicitant curae, timor angit, lenta senectus,
Cor sine fonte riget, fastidia longa laborum,
Corpora languor habet, vesanaque murmura miscent —
At labor hic noster facilis, brevis atque suavis:
Mens non turbatur, sequitur cor illico mentem.
(F.) Ecce placent brevitate preces, sed nemo vetatur
Has iterare preces, effundere corde frequentes
Unaquaque die. Mulcet sua quemque voluptas:
Exagitant lepores, pisces capiuntur ab hamo,
Et visco fallunt volucres, et carmina cantant:
Nos teneant meliora, juvat conquirere mente
Semper ubique Deum, quo teste cor igne calebit;
Ecquis enim praesente Deo contaminet ulla
Candentem macula vestem?
(G.) Docuisse memento
Hoc genus orandi Dominum!
(F.) Ni fallimur omnes,
Franciscus docuit Genevensis episcopus.
(G.) Erras,
Francisci libro liber est antiquior ille,
Cui Deus est auctor, cujus venerabile nomen,
Continet hic codex Domini monumenta docentis.
(F.) Me gravis ardor habet discendi.
(G.) Conditus agro
Thesaurus, volucres et lilia, semina campi,
Mane aurora rubens, rubicunda crepuscula noctis,
Ablutique pedes, eductaque retia ponto,
Secreti pisces, fermento mixta farina,
Lux, tenebrae, lolium, segetes, maledictaque ficus,
Vermis non moriens, et margarita, sinapis,

Fons salientis aquae, serpens simplexque columba,
Et quaesita pecus quaesitaque drachma — sed ista
Sufficiant nobis. Quid censes, optima Flora?
(F.) Cuncta fere novi, quae profers docta magistra,
Infelix mulier, quae plurima nosse videbar,
Me nil scire scio. Libros supereminet omnes
Divinus codex, sed parvi penditur eheu.
Has adamabo preces Jesu praeeunte magistro,
Exercebor ego, sed tu me plura docebis.

IDYLLIUM III.

GEMMA, FLORA.

(G.) Salve, Flora soror... pertentant gaudia mentem,
Subridet vultus... quae tanti causa nitoris?
(F.) Qui fontis vitrei salientes hauserit undas,
Gestit ovans curruntque pedes, petit ardua montis:
Verbis docta tuis ego tanta indigna magistra,
Fessa labore gravi carpebam nocte quietem,
Dulcis erat somnus, nunc pollent viribus artus;
Me novus ardor habet discendi plurima — Gemma,
Uberiora mihi referes praecepta salutis.
(G.) Cara quidem semper, sed nunc carissima, verbis
Erudiâre meis, permulta doceberis, inquam.
Sermones hominum (facit experientia cautum)
Multa serunt et pauca metunt, sed commoda praebet
Ubera sermo Dei... semper mansura caducis
Utiliora! Soror, si rite exacta recordor,
Fundere corde preces manuumque adamare laborem
Te satis edocui — manuum labor iste laboris

Nonnisi pars nostri! Labor est (intellige) totus...
Cordis amor! Redamare Deum, qui nos amat, unum,
Semper amare Deum ferventi pectoris aestu...
Gloria, deliciae, gazae, sapientia, vita!!
(F.) Eminet unus homo, qui commendatur amore,
Ignis amor, nostrae pretiosior igne coquinae —
Ardeat hic semper, vehemens exaestuet ignis!
Aspera bruma procul rigidis Aquilonibus horrens!
(G.) Noster amor *virtus*, vis est roburque *virile* —
Hostis adest, furibundus adest et callidus hostis
Caede nocens... quid vita nisi certamen amoris?
Omnis homo miles, medios moriturus in hostes
Irruat, et dabitur vitae victoria morti.
Dant flammae flammas, et amor generatur amore;
Dum pueri languent, adolescens robore praestat,
Imbellisque senex baculo vestigia firmat,
Viribus exhaustis moriens sua lumina claudit:
At vires animae semper cumulentur oportet,
Ut vincat moriens fortem fortissimus hostem.
(F.) Dic ubi deliteat tantae virtutis origo.
(G.) Summus origo Deus, qui mentem lumine lustrat,
Cor flammis urit, sine numine nullus amavit,
Nullus amat! Precibus cordi quaeramus amorem,
Tolle preces, tenuatur amor!... Cur moesta dolore,
Flora, gemis? Dic, alma soror, quae causa gemendi?
(F.) Heu subeunt anni, vitae miserabile tempus,
Aspernata preces per devia stulta vagabar,
Ridebamque levis!
(G.) Lacrymae monumenta doloris,
Et virtute crucis tacito peccata dolore
Omnia tolluntur, te jam lavêre salutis
Balnea.
(F.) Gemma soror, quae me dementia cepit!
Profundunt alii nummos, ego numine laeso

Annos profudi.
(G.) Quae daemone vincta sedebas,
Curre modo pernixque vola, reparantur amoris
Damna, preces auge, majora dabuntur amori
Incrementa tuo, precibus certamina junge.
(F.) Currere nunc jubeor, desunt talaria, Gemma!
Par volucri jubeor tenues volitare per auras,
Dic, ubi sint pennae.
(G.) Talaria sedula quaere,
Quaere tibi pennas, prodest animosa voluntas
Exercenda diu. Calamis utâre frequenter,
Et scribes; oculis percurre volumina saepe,
Rite leges; crebroque puer det verba, loquetur.
Immotus torpet, vires acquirit eundo
Pes, findunt volucres pernicibus aëra pennis,
Ni cavea teneantur — amor generatur amore!
(F.) Quae dicis, capio... peccata facillima, legem
Si violent semper, virtusque facillima tandem,
Si pede constanti Domini praecepta sequamur.
(G.) Miles *disce* pugil vasto contendere campo:
Diffugient hostes, redimitaque tempora lauro
Spectabunt cives, et carmina laeta canentur.
Ut vero possis pugnando discere pugnas,
Ipsa tuas vires trutina librare juberis.
Accipe nunc trutinam, trutinâ libranda voluntas.
(F.) Mystica verba facis, quae non intelligo stulta.
(G.) Qua ratione potes pugnando discere pugnas,
Si lateant clades lateantque pericula belli?
Sunt clades culpae, culparum occasio multa;
Accipe nunc trutinam, vires librentur amoris,
Sed brevius meliusque loquar: *te nosse* memento!
En discunt homines, quae condunt viscera montis,
Arva, greges, uvas, volucres, animantia, pisces,
Oceanum, fluvios, Alpes urbesque lacusque,

Annales, linguas, artes, medicamina, leges,
Arma, jubar solis, radiantia sidera coeli —
At *se* non discunt!
(F.) Didicit permulta puella:
Exoneratque colos, et fusum pollice versat,
Fercula multa parat, percurrit pectine telas,
Consuit egregias vestes, lacerisque medetur,
Ornat acu variis pretiosa tapeta figuris,
Linea mundat aquis et ferri laevigat igne, —
At *se* non didicit! Quae sunt leviora, docentur,
Et graviora latent! Dum plurima nosse videmur,
Trudimus indoctae vanis sermonibus horas!
(G.) Si te nosse cupis, cordis penetralibus ignem
Infer, et admoto muni tua lumina vitro.
Quis dabit hunc ignem? tribuet tibi nobile vitrum?
Fert haec dona Deus, Sanctus fert Spiritus unus —
Flecte genu, pia Flora soror, tibi munera posce,
Accipiesque cito... patefient abdita cordis!
Pallebit vultus, subito terrebere visu!
Forte nefas aberit, sed quot peccata videbis,
Quae passim minimi fiunt! Peregrinus in orbe
Pulvereae semper foedatur turbine molis,
Donec summa dies languentia lumina claudat.
Ut gaudent homines, quum largos montibus edunt
Thesauros: laetare, soror — nisi vulnera cernas,
Non sanabuntur. Sed jungere lucra *secunda*,
Flora, juvat: vitii pervestigetur *origo*.
Scrutantur medici primas examine causas,
Quae morbos genuêre suos, ut pharmaca possint
Arte parare sua: sunt plures pectore matres,
Et matri sua cuique datur tristissima proles.
Coeca libido parit, foetumque superbia promit,
Educit sobolem nummi furiosa cupido;
Et soboles oritur sobole, matrique secundae

Tertia succedit mater, genuêre nepotes
Permultos proavi! Ne proxima (Flora, memento),
Ultima quaeratur vitii crescentis origo.
Culparum illecebras (nunc profero *tertia* lucra)
Insidias tacitas, funesta pericula nosse
Est opus, ut longo releventur pectora morbo.
(F.) Tu mihi mater apis, tu mella tenacia fingis,
Dulcia, quae labiis sunt edita, verba salutis.
Semita tu vitae, pelagi tu gnava per undas
Hancce meam navem stridentibus undique ventis
Tuta regis... qua mole gravis sapientia Gemmae!
(G.) Me docuêre libri, quos odit inhospita turba,
Accepi... reddo, sanctis auctoribus omnes
Immensoque Deo meritum tribuamus honorem.
(F.) Quantae molis erit cordis mysteria nosse!
(G.) Lux! oculi! vitrum! — peccata latentia promo!
Nil autem video, si callida nolo videre,
Lumina si claudo, densa caligine mergor.
Pande oculos igitur, non ulli parce labori,
Explora latebras par conquirentibus aurum,
Parque cani, qui nare legit vestigia cervae.
(F.) Quantae molis erit cordis mysteria nosse!
(G.) Macte soror virtute nova... primordia sume,
Audaces fortuna juvat! Dant pondera tergo
Depressa cervice viri, lassantur eundo,
Sol nitet igne calens, it plurima gutta per artus,
Nec mora, nec requies, urget mercator avarus,
Horrea sunt multis implenda patentia saccis,
Saccus habet Cererem, tardissima labitur hora,
Vesper adest... quae lucra viris? Tenuissima duro
Est merces operi... pia curis angitur uxor,
Vix pueri corpus pannosa lacinia velat.
Cordis iter faciens sane desudat et alget,
At cura leviore suo largissima cordi

Emolumenta parat!
(F.) Repetitis ictibus ecce
Figitur in ligno clavus: tu malleus una,
Tunde cor, alma soror, cor hoc contunde, placebunt
Ictus, et manui tanta virtute potenti
Oscula pressa dabo.
(G.) Tellus fervoribus usta
Languida sorbet aquas: arrecta, Flora, salutem
Aure bibis.
(F.) Nunc, Gemma, refer, quo tempore longum
Cordis iter faciam.
(G.) Sub prima crepuscula noctis
Otia quaere tibi finemque impone labori,
Rumpitur extemplo, nimium qui tenditur, arcus.
Quum latrat stomachus, regales instrue mensas,
Aurea demittant multos laquearia lychnos,
Sit protracta dies, mensaeque sedilia necte;
Ne sint dura, cave, nam pulvinaria quaero,
Fercula prome cito, niteant argentea vasa,
Crateres adhibe, spument redolentia vina,
Trudantur celeres lepidis sermonibus horae,
Si lubet, ingentes mulce modulamine curas.
(F.) Quo, quo Gemma ruis? Cur nunc sermone faceto
Seria turbantur? Quae te dementia cepit?
(G.) Intervalla placent — jam dixi, rumpitur arcus,
Nectit saepe moras, et sole calente viator
Instaurat vires, densaque sub arbore sidit;
Est potatorum calices vacuare tumentes
Haustu uno, semperque movet malus heluo dentes;
An ludi series non interrupta theatris?
Otia sunt choreis, cantoribus atque poëtis —
Otia sint nobis! Resolutis nubibus imbres
Saepe cadunt, vastatur humus, sed lenta cadendo
Irrigat unda solum.

(F.) Nunc, fortunata magistra,
Nunc age, rumpe moras, sitienti pocula praebe.
(G.) Pocula non prosunt, si sint viduata liquore;
At si poscis aquam, tua nunc intersecat arva
Limpidus ac vitreus fluvius, sunt arva coquinae,
Vasa tument lymphis. Si vini pocula poscis,
Non ego sum caupo, redimendaque dulcia vina
Oblato pretio.
(F.) Noli, carissima Gemma,
Me torquere diu, mihi pocula trade salutis.
(G.) Tu regina jubes, ancilla ego pareo dictis,
Venemur lepores, expellamusque lepores.
Attollunt placidam nocturna silentia mentem,
Sollicitudo procul, graviora negotia curae.
Mens immersa Deo, conclavia nostra petamus,
Corda preces edant, edantque sonantia verba;
Intervalla precum (me nunc intellige, Flora)...
Intervalla placent, haec intervalla dabuntur...
(F.) "Lux, oculi, vitrum!,, sapienti pauca, voluptas
Unaquaque die tantum renovare laborem.
(G.) Pax in corde tuo, ne turbet corda tumultus,
Esto par amni, placidis qui labitur undis,
Sed non torrenti, qui fluctibus obruit arva.
Si vitreus fugiat per gramina pinguia rivus,
Omnia saxa vides, quae proluit unda, latebunt,
Si turbentur aquae. Calamo peccata recense,
Incrementa dies referet collata diei.
(F.) Ut nivium moles excussa cacumine montis
Vertitur in praeceps, vires acquirit eundo:
Sic, dum verba facis, tua pondere verba tumescunt.
(G.) Non ego te doceo, sed numinis ore docemur
Omnes. Eja soror, fugit irrevocabile tempus,
Cor flammis caleat, Deus unus dignus amore,
Vita brevis, mea Flora soror.

(F.) Mors imminet atra,
Non ulli parcit, tacitoque cadavera busto
Condentur, judex advectus nube curuli,
Et solis fulgore nitens, circumdatus ecce
Coetibus angelicis, et majestate tremendus
Criminis ultor adest! Advolvitur improba turba,
Ora metu pallent, vox imis faucibus haeret,
Horror membra quatit, gelidus formidine sanguis.
Omnia totius panduntur crimina mundi
Teste libro, trutina librantur corda, nocentes
Ignibus immensis heu torquebuntur in aevum.
Quae nos fata manent? Felici occumbere leto
An dabitur nobis? Est eheu poena superstes
Deletae culpae, lacrymis sociare dolores
Me piget, et memini culpae succedere culpam,
Augeo, non minuo mulier stultissima poenam.
Torrebunt flammae, qui nolunt pendere poenas,
Quas meruêre pati; rarissimus incola terrae
Ingreditur moriens alti penetralia coeli.
(G.) Dictis dicta sequor. Si vis sperare salutem,
Et moriens subito coelesti sede potiri,
Continuo te disce, soror, sapientia multis
(Haec semper meminisse juvat) conquiritur annis,
Discendi finis sit nostri terminus aevi.
(F.) At satis errorum primas cognoscere causas,
Errorum cumulos et cuncta pericula nosse,
Hanc possum breviore via contingere metam.
(G.) Falleris, alma soror, numerum quaeramus oportet
Culparum, pondus pateat levius graviusque:
Cor simile est pelago, nunc littora proluit aestu,
Nunc vero nudat lente refluentibus undis,
Accedunt, abeunt noxae: cujuslibet ortum
Nosse juvat, vitam, supremaque funera culpae.

At raro labes tumulo conduntur, et eheu
Culpa fugata redit, gravior revocata resurgit;
Quot vestes matrona ciet, quae stulta superbit,
Tot vitium profert eheu miserabile formas.
Heu quoties nitida pietatis veste refulget,
Vellere tectus ovis lupus efferus ore cruento
Delitet! Innexae velato crimine fraudes
Cui pateant? Acies oculorum lyncea rara!
Longum cordis iter, locuplesque scientia cordis
Rara, soror!
(F.) Trepidant artus, formidine vincor,
Tantae molis ego nequeo mihi condere tecta!
(G.) *Continuo* te disce, rogo — ceu saepe cadendo
Gutta cavat lapidem: labor improbus omnia vincit!
Quovis mense diem tibi selige, mitte labores,
Uni vive Deo, sit clausae dulcis eremus,
Sola domi taciturna sede, consortia vita.
Obtestare Deum, pretium meditare salutis,
Sanctorumque manu praeclara volumina versa,
Verba movent, exempla trahunt, rapieris amore,
Fundentur lacrimae, potiori lumine mentis
Omnia dilapsi mensis peccata videbis,
Quidque tui valeant humeri, quid ferre recusent,
Tandem perspicies.
(F.) Non est mortale, quod optas —
Non, non conveniunt haec pondera viribus istis.
(G.) Pone metum, dilecta soror, solatia semper
Consiliumque feram, facit experientia doctum.
Eja age, rumpe moras, et protinus annue dictis.
(F.) Nescio, cui tradam regalia sceptra coquinae —
Pareo, si rapido placeant jejunia ventri.
(G.) Sum regina potens, cui tot conclavia subsunt,
Regales ponam vestes, ponamque coronam;
Subdere colla jugo, dominaeque facessere jussa

Est labor egregius, famulae venerabile nomen.
At rudis ingenio nec tanto assueta labori
Si condire cibos sale multo dicar, et acri
Igne cremare ferar, mulcebis pectine chordas,
Cantabisque meas vates celeberrima laudes.
(F.) Gemma, moves risum, sunt seria mixta facetis,
Nec citharam pulso, nec carmina vocibus edo —
Mordeor!
(G.) Ut volucris te leni mordeo rostro,
Dona feram laesae: medicina parabitur ingens
Vulneribus cordis — cujuslibet exitus anni
Sit tibi conspicuum, tibi sit memorabile tempus!
Ternos junge dies, Gemmae da sceptra, recede,
Abdere, tuta sile — tunc mortem corde voluta,
Judicis extremam trutinam flammasque perennes,
Et flammas medicas aeternaque praemia coeli.
(F.) Desine, Gemma, rogo, nimio mens pondere pressa,
Exanimisque ruo.
(G.) Labor est hic dulcis amoenus!
Septem saepe dies, bis septem jungere multi
Dicuntur!
(F.) Metuenda soror deliraque Gemma!
Quo ruis?
(G.) Heic adsum, labor est hic dulcis, amoenus!
Unaquaque die sunt intervalla quietis,
Laeta quies operi, non sunt jejunia, somnus
Restaurat vires — referenti crede sorori.
Quae non vidisti, noli reprehendere, Flora.
(F.) Tu me fune trahis, superare cacumina montis
Importuna jubes.
(G.) Rogo te, resipisce, quiesce,
Monstra vident timidi, puer est, qui labitur annus,
Non hodie tua sceptra peto. Sententia costet

Haec animo semper: Dum vitae labitur aetas,
Cor scrutare tuum, regina scientia cordis.

IDYLLIUM IV.

GEMMA, FLORA.

(F.) Da veniam Florae, veniam da, Gemma, roganti,
Erubuêre genae, quae me dementia cepit!
Tu mihi dux vitae, sed jam pertaesa magistrae
Carpere nolo viam, lassata labore puella
Ecce gradum revoco. Timor ingens perculit ossa,
Quum tres, Gemma, dies insigni laude tulisses.
Accelerabo gradus, pedibus talaria nectam.
(G.) Pingue solum fortes exercent vomere tauri:
Verba dabo cordi: mea nunc carissima Flora
Verbo reddet opus.
(F.) Sed quae me condet eremus?
(G.) Hac te conde domo, teneat conclave latentem.
(F.) Templa subire, forum lustrare occlusa vetabor,
Accedent sociae, procul arcebuntur...
(G.) Amicas
Arcebo sapiens, quia sacra silentia turbant,
Templa subire licet, sed non per compita ferri.
(F.) Qua ratione meas, o Gemma, arcebis amicas?
(G.) Sat facili, dicam cunctis: Heu corde laborat
Flora, quietis eget, non immedicabile vulnus.
(F.) Cor sanum, noli mentiri...
(G.) An sana voluntas?
(F.) Ambiguas odi voces, dicamus aperte:
Verrit Flora tribus squalentia corda diebus!

Ridebunt primum, mordebunt forte latentem,
Mox laetae comites praeeuntem forte sequentur.
(G.) O utinam sacro Deus Optimus igne puellas
Omnes inflammet! coelum terramque moverent!
Templa viri fugiunt, raperet bona filia patrem,
Exemplo traheret conjux generosa maritum
Atque soror fratrem.
(F.) Sed novimus, esse puellas,
Quae sacras aedes adamant, altaria quaerunt,
Culpas saepe lavant, vescuntur carnibus Agni,
Oderunt thalamos, auro solantur egenos,
A choreis absunt, flavos ornare capillos
Nolunt.
(G.) At vanis implent sermonibus aures,
Ac tumidae laudis coeco jactantur amore,
Heu naevos augent hominum, mendacia spargunt,
Dissimulant, simulant, fessos aetate parentes
Non magni faciunt, si forte redarguis illas,
Saeva bile tument.
(F.) Homines sunt... nullus in orbe
Integer est culpae!
(G.) Non delectantur amore,
Delicias pietatis avent, has tolle — recedunt.
Est certamen amor: nolunt contendere campo,
Eminus hostis adhuc: subito dant terga per agros,
Verus amor pugnat... censentur pondere terga!
(F.) Dic, ubi sit miles semper certamine victor...
Heroes rari!
(G.) Censentur pondere terga!
Et factis censetur amor!
(F.) Sed nullus in orbe
Integer est culpae!
(G.) Permultae saepe dolores
Virgineae Matris lacrymis meditantur obortis,

Vulneribus Domini figunt mulcentia tristes
Oscula, saepe manu praeclara volumina versant,
Atque domi latitant, fundunt sine fine diurnas
Nocturnasque preces, innectunt floribus aram,
Lumine dum multo resplendet imago Mariae,
Carmina sacra canunt, dum Majus gramine prata
Induit halanti, facundo maximus ore
Si movet orator confertae pectora plebis,
Accurrunt celeres, arrectis auribus adsunt,
Continuoque lubet coelesti accedere mensae,
Divinas libare dapes... at rara puella
Marte ferox armisque potens irrumpit in hostes,
Et languet virtus raro certamine victrix.
Terguntur culpae, culpae renovantur eaedem,
Pondere verba carent, paleae rapiuntur inanes,
Heu promissa fides heu non servatur amori.
Tempus edax rerum praetervolat ocyus Euro...
Dic, ubi sit virtus, pectus roburque virile?
Verba operi sociata probo, viduataque factis
Penduntur minimi... raro certamine victrix
Est hominum pietas!
(F.) Morum metuenda magistra,
Me nimium terres...
(G.) Censentur pondere terga:
Mole gigas sit noster amor!
(F.) Spem pono salutis!
(G.) Digna Deo soboles, effusae prodiga vitae,
Funere gens major, nullo vincenda tyranno!
Quae possint celebrare fides tua gesta, labores,
Aerumnas? Lente crepitantibus ignibus usta,
Ponto mersa truci, laqueo jugulata feroci,
Cuspide caesa gravi, discerpta leonibus, imbre
Obruta saxorum, capitis damnata, crucisque
Supplicio occumbens, absorpta voragine, equorum

Vi raptata diu, tortis contusa flagellis, —
Digna Deo soboles... quos illacrymabilis orci
Effinxit rabies, Domino sociata magistro
Pertulit ecce omnes coelo plaudente dolores!
Non retulêre pedes mulier, puer atque puella,
Decrepitusque senex... omnes egêre triumphos!
Vidisses oculos divina luce micantes,
Audisses placidae resonantia carmina vocis...
Salve, cara Deo soboles, exercitus ingens!
Heroas dixêre viros heu fronte tumentes
Elata, dixêre viros, qui daemone freti
Justitiae immemores, praedaeque cupidine tracti,
Fraudibus eliciunt vafris incendia belli,
Exurunt messes vastantque palatia flammis,
Expugnant arbes, sternuntque furentibus armis
Corpora... victorum cinguntur tempora lauro.
O fera progenies, toti execrabilis orbi!
Est vere magnus, Domini qui captus amore
Perdomuit mortem!
(F.) Nubes transire videris,
Coelorum penetrare fores, et muta volantem
Mente sequor.
(G.) Nos pigra manus, lacrymabile vulgus,
Nos imbelle genus, quos ferrea protulit aetas,
Odimus aerumnas, enerves odimus arma!
Quae virgo vellet sordente madescere sputo,
Quae caedi colaphis? Lacrymis tamen ora tumescunt,
Dum supplex meminit Domini morientis in aede.
Si quam proscindant rabidae convicia linguae,
Protinus igne rubet, vultusque exaestuat ira,
Promulgat facinus, reddit convicia demens,
Vindictae tacita stimulata cupidine multos
Exacuit dentes... sed Virginis ardet in ara
Parva lucerna domi, radiat nocturna, diurna!

Non parcit sonti: tamen eheu vescitur Agno!
Haec abeat pietas ultra Garamantas et Indos!
Est invisa Deo! Quid prodest nummus adulter?
At prodest aurum! Superos tu voce fatiga,
At precibus socia longum certamen amoris...
Sunt binae volucri pennae!
(F.) Metuenda magistra,
Quis, rogo, si poscas tantae virtutis amorem,
Astra petet? Noli, noli restinguere linum,
Quod fumat, venti spirant, quassatur arundo,
Noli quassatam, noli confringere, Gemma.
(G.) Semper ego tantae poscam virtutis amorem,
Nonnisi fortis amor reserat penetralia coeli!
Ast ignavus amor metuens certamina torpet,
Flora, gradus hic torpor habet, discrimina multa
Culparum, trutina pondus libremus oportet,
Est gravius leviusque, soror; dant cuspide vulnus:
Non semper letale malum. Dulcissima Flora,
Tu flammas medicas, flammas discerne perennes,
Has flammas meditare, soror, facileque videbis,
Nonnisi maturam coelestia condere messem
Horrea.
(F.) Flora stetit segnis, nunc carpet eundo
Flora viam coeli, pugnemus Amazones armis,
Nulla quies operi.
(G.) Nostri pars *prima* laboris:
Omnes continuo truculentae cuspidis ictus
Objectis clypeis arcere, fugare phalanges.
(F.) Nemo, Virgineam Matrem si dempseris unam,
Nemo potest semper, dum vitae labitur aevum,
Ni Deus insueta virtute petentibus adsit,
Nemo potest (inquam) cunctis evadere culpis.
(G.) Haec novi, sed tarda, soror, molimina nescit
Virtus, tu fortis montana cacumina scande,

Progrediare, soror, caput insuperabile bello
Tolle ferox; uno quercus non caeditur ictu:
Saepe cades, ne strata jace, festina resurge,
Rarior et levior sit sensim culpa, dabitque
Incrementa Deus, labor improbus omnia vincit!
    Quaerit avarus opes... quot curis angitur atris!
Noctes atque dies! Semper quaesita reservat,
Semper plura petit! Qui culmina quaerit honoris,
Blanditur multis tumido majoribus ore,
Fraudibus innumeris rivales callidus arcet,
Non fert ille parem, fulvumque profunditur aurum,
Nec timet ingentes mens irrequieta labores,
Dummodo felicem possit contingere metam.
    Exigit en plures tetri dominator Averni
Aerumnas, Dominique jugum sat lene ferenti.
Aerumnae augentur, levius fit pondus amanti
Unaquaque die; tandem labentibus annis
Dulce pati!
    (F.) Summi mysteria promis amoris!
    (G.) Praetulit en vitae Theresia virgo dolores,
Contemni voluit magnus virtute Joannes! *)
    (F.) Ecce puella cavet, ne labes polluat ulla
Carbaseam vestem,... cor est pretiosius (inquam)
Vestibus innumeris Tyrio bis murice tinctis;
Protinus excutitur, qui vesti annectitur, anguis.
Si morbi subeant, medicum, medicamina quaerunt,
Assurgunt flammae, rapidis vincuntur ab undis —
Sollicitudo hujus perituri corporis ingens!
At nulla est animae! Quid pejus vulnere cordis?
Summum culpa malum, sed dicam rectius unum!
    (G.) Hinc noli peccare, soror, sententia constet

---

*) S. Joannes a Cruce.

Haec animo semper, lateri sociabor amica.
Dat veniam culpae Domino miserente sacerdos,
Poena manet, nec poena levis, minuenda dolore —
Altera pars nostri non praetereunda laboris!
Poena manet, nec poena levis! Quis fercula, vina,
Carmina, quis lituos, choreas, quis rura, theatra,
Quis currus et equos, thermas, laquearia, gemmas
Ambiat? ecce fugit, fugit irreparabile tempus!
Poena luenda manet! Jam funeris imminet hora,
Nec poenam luimus! Melior sapientia nobis!
Ni poenas lueris, mors semper, semper amara.
(F.) Debita depellunt nummi poenamque dolores.
(G.) Est dolor assiduus magnum certamen amoris,
Est dolor illecebras vitiorum vincere molles,
Fortis amor poenas minuit, sed conditur iste
Corde dolor, sociantur ei sine fine per aevum
Corporis aerumnae: morbi manuumque labores,
Imperiosa fames, arvorum incendia, rupto
Aggere torrentes, tempestas, furta, rapinae,
Flamma vorax, bellumque furens, teretesque dolones,
Demersae pelago naves, delapsaque coelo
Fulmina, dira lues, tellus concussa fragore,
Turbae civiles, ejecti montibus ignes —
(F.) Vita hominum cumulata malis... perferre dolores
Est poenas delere graves, sed nolumus eheu
Durrum ferre jugum, dociles meliora sequamur.
(G.) Ecce manent pigros graviores pondere poenae:
Heu medicae flammae metuendi carceris ardent
Et cruciant... vehemens et inenarrabilis ignis!
Eja age, Flora soror, flammas fugiamus acerbas,
Heic praestat leviora pati! Jejunia multa,
Importuna sitis, series invisa laborum,
Otia parca tori, cui pulvinaria desint
Mollia, parva damus, Domino tamen ista placebunt

Munera. Quos sacra dudum veneramur in ara,
Sancti dona Deo potiora tulêre: flagella,
Et setas Cilicum, multis protracta diebus
Ardenti sociata siti jejunia, noctes
Insomnes multas, diro manantia tabo
Ulcera pressa labris, lapides tabulasve molestas
Suppositas capiti seu mollibus artubus — eheu
Nos imbelle genus sumus!
(F.) Illi sunt elephantes,
Et nos formicae.
(G.) Deus est elephantis origo
Nec non formicae — dabimus munuscula, Flora,
Excipietque Deus nostri monumenta doloris.
Continuo vero dabimus munuscula, guttis
Guttas adde novas, replebitur urceus altus.
(F.) At si parva damus, poenas non tollimus omnes.
(G.) Munera, quum crescent vires, potiora feremus,
Quidquid agis, prudenter agas... sententia trita!
At culpas arcere juvat, secus omnia nostra
Dona parum prosunt.
(F.) Poenas non tollimus omnes,
Haec est vita brevis.
(G.) Locuples ecclesia Christi
Dat veniam poenae, veniam dabit illa roganti.
Est thesaurus ei rutilo pretiosior auro,
Condit opes Domini, quaesitas in cruce gemmas,
Crux Domini culpas omnes abstergit, et omnes
Expungit poenas... gemmas deposce, dabuntur.
Accedant omnes homines, quos continet orbis,
Quotquot erunt homines, donec venientibus adsit
Ultimus orbis homo... poscant sua dona, ferentur.
Ast thesaurus habet sociatos Virginis almae
Atque Beatorum (moles immensa) dolores;
Credimus, his nostros tolli minuive dolores.

(F.) Qua ratione, soror, poenâ tollatur alius
Debita poena mihi?
(G.) Quî mundo debita poena
Poenarum Domini magna virtute piatur?
Nonne potes precibus medicas extinguere flammas?
Et potes aerumnis — tollisque dolorem?
Sunt mala perpessi culpis graviora Beati,
Haec graviora, soror, traduntur egentibus, eheu
Nos culpis leviora pati, cognoscimus omnes.
(F.) Non tradunt aliis, quae promeruêre, Beati,
Et merces major graviore dolore paratur!
(G.) *Praemia* non tradunt, quae promeruêre dolores,
Una datur virtus sociata doloribus (inquam),
Quae fratrum redimat poenas, vis una piandi.
Flora suos Gemmae posset donare dolores,
Et mea poenarum decresceret illico moles.
Nonne opulentus homo mendici debita fratris
Reddere posset ei, qui fulvum credidit aurum?
Nonne Emerica, mihi dudum carissima virgo,
Atroces hominum morbos assumsit et aegri
Convaluêre statim? Multas grassata per urbes
Passim dira lues rapuit juvenesque senesque:
Anna Maria *) Deo fulgens juvenilibus annis
Immolat en vitam, placatur vindicis ira.
Nonne etiam morbi (medici fateantur oportet)
Protinus hos artus relevant, illosque dolore
Excruciant? Homines unius corporis artus!
(F.) Valde, Gemma, placent, quae nunc es verba loquuta,
Poenarum veniam Domino miserente rogemus

*) B. Maria Anna de Paredes e Flores † 1645.

Quotidie, poenasque nova virtute luamus
Quotidie.
(G.) Sapiens hoc collo appende numisma,
Quod tibi nunc trado nitido pretiosius auro.
Hoc ego jam dudum sum nacta numisma, sacerdos
Obtulit, et quanti fiat, te, Flora, docebo...
Poenarum veniae, veniaeque frequentis origo
Hoc erit.
(F.) Ecce decus colli meliusque monile!
Nunc ternos describe dies, facienda recense,
Nos alio detorsit amor.
(G.) Sulcavimus aequor,
Contigimus portum coelo ventoque favente
Quo mihi cursus erat! Tribus haec sint acta diebus:
Prima dies culpam, poenamque secunda volutet,
Tertia poenarum veniam meditabitur unam.

IDYLLIUM V.

PAULINA, COELESTINA, ROSALIA.

(R.) Ingeniosa placent: delector imagine picta,
Quam nuper Paulina dedit, jam subdita vitro
Exornat formosa torum, pariesque superbit.
(P.) Haec mihi parva fuit dulcissima semper imago,
Munus imago viri, quo non mihi carior ullus —
Dona sacerdotis veneror facunda, Jacobus,
Quem nunc busta tenent, sacris me lavit in undis,
Me docuit semper Domini pia verba puellam;
Spernere turpe nefas didici praeeunte magistro
Amplectique crucem. Nunc (spes mihi laeta refulget)

Nunc fruitur praesente Deo mercede laboris.
(R.) Dona boni monumenta viri servanda — lubenter
Munera reddo tibi.
(P.) Tu, tu sis icone dives:
Hanc oculi spectent, quum primo mane resurgis,
Hanc oculi spectent, quum lecto membra reponis —
Addiscendus amor!
(C.) Quae laeta voce refertis?
Sera adsum vobis post taedia longa laborum.
(P.) Icon labra movet calamo depicta Joannis,
Quem Dominus Jesus juvenem redamavit amantem.
Ostia clausa domus — digito pulsante Redemtor
Adstat, — "pande fores,, dicit... venerabilis icon
Est virtute potens, sermone potentior amplo.
(C.) Iconis interpres esto, Paulina magistra,
Auribus arrectis ambae tua verba bibemus.
(P.) Multa latent, nequeunt parco sermone recludi;
Dux praeibo lubens, vestrum sociate laborem...
Addiscatur amor!... Nostri sunt ostia cordis,
Quae Dominus pulsat, nostri penetralia cordis
Hospes inire cupit, dulci devinctus amore
Festivas celebrare dapes, accumbere mensae.
(C.) Haec equidem novi, sed nulla satisfacit Eos,
Posco jubar solis; si vis, edissere multis,
Qua ratione Deus mea pectoris ostia pulset.
(P.) *Res omnes* pulsant, quas condidit arbiter Orbis,
Omnia, quae coelum, quae tellus continet (inquam),
Omnia sunt digiti supremi numinis, ecce
Nunc arcana patent,
(C.) Nondum, Paulina. Docebis,
Qua pulsent *ratione* fores.
(P.) Te exempla docebunt.
Sol vehit axe diem! Nobis dat verba Redemtor:
Est vobis, homines, oleo nutrita lucerna,

Parvula, quae paucis, tenui quae lumine fulget,
Non pellit tenebras, usu depascitur ipso,
Halitus exstinguit flammas. Advertite mentem,
Et solem spectate meum: sol protinus arcet
Horrorem noctis, toti fert lumina terrae
Excitus ore meo, non unquam deficit ignis,
Plurima lux radiis, ingens immensaque moles,
In spatio pendet nullo fulcimine nixa —
Sole fores pulso, festini pandite valvas.
(C.) Labra tremunt animique stupent, haeremus in uno
Defixae obtutu.
(P.) Delector, inhaereo coeptis.
Luna comes terrae, quae non discedit ab illa,
Luce renidet ovans accepta a lampade solis,
Cornua quae cogit, reparat, quae cornua complet,
Nonne Dei verbo quatuor mutatur in ora?
Nonne viatori facibus praelucet eunti?
Temperat horrorem noctis? loquiturque silendo?
Luna fores pulsat! Refero nunc sidera cuncta,
Caeruleo quae sparsa polo numerare vetamur,
Dissociata loco, quem non metimur, et ingens
Molis onus, trutina quod non libramus, in aevum
Astra movebuntur sociis redimita planetis.
Astra fores pulsant!
(C.) Est admirabilis icon!
Multa brevi sermone capit, succendimur igne.
(R.) Nunc nova, quae silui, portenta Rosalia prodam,
Insula terra maris — quis mente recenseat omnes
Oceani guttas? quis pondera libret aquarum?
Mons terrae summus, quo non est altior ullus,
Si mons demersus pelago consurgat ab imo,
Fluctibus obruitur, nec celsa cacumina prodit,
Undarum moles capiti superincubat ingens!

Si potes, enumera pisces... mens lassa fatiscit!
Unda fores pulsat!
(C.) Quae findunt aëra pennis,
Argutae volucres; implens rugitibus auras
Excutiens cervice jubam leo, dènte cruento
Discerpens praedam; patiens formica laborum,
Quae vehit ore cibum, structoque adjungit acervo;
Ingenui vermes, qui Serica fila trahentes
Ore suo sibi busta parant, surguntve sopiti,
Ponunt ova novae soboli; quae floribus almae
Insidunt, lucrantur apes redolentia mella,
Distendunt cellis; terraeque animantia cuncta...
Nonne fores pulsant?
(R.) Quae vincunt horrea, messes,
Foecundae vites, quae dant spumantia multis
Vina cadis, laeti viridantia gramina ruris,
Innumeri flores, decorataque fructibus arbor,
Qui fugiunt queruli sinuoso tramite rivi,
Et vocale nemus, quod frigora praebet et umbram,
Nonne fores pulsant?
(C.) Gemmae, pretiosa metalla,
Acta vapore ratis, via ferro strata rigenti,
Qua merces hominesque ruunt, celeberrimus unus
Inter pictores omnes sol fervidus igne,
Electri socius magnes, qui fulguris instar
Prodigii virtute novi loca permeat, omnes
Iam spatii leges vi delevisse videtur,
Nonne fores pulsant?
(R.) Qui circumfunditur aër
Huic terrae nostrae, pluviae, glaciesque nivesque,
Mens et cor hominum, simul omnes corporis artus,
Ut breviter dicam, quaecumque hic continet orbis,
Omnia laeta canunt Domino praeconia laudum.
Est unus sapiens, nescit sapientia fines,

Et bonus est unus, sanctus justusque potensque.
Continuo digito pulsatur valva domorum,
Ostia cunctarum pulsantur semper ubique.
(P.) Nunc aliud meminisse juvat: qui pulsat agendo,
Idem consuevit valvas pulsare loquendo.
(C.) Verborum sensum manifestius ede latentem.
(P.) Vis exemplorum tibi protinus abdita pandet.
Quae Jesus docuit, docuitque Ecclesia nostra
Atque docet, clausam valvam simul omnia pulsant.
Primus homo cecidit deceptus fraude draconis,
Mens hebetata, nefas genuit malesana cupido,
Innumeri morbi, mors ultima linea rerum,
Haec tellus maledicta, gemens, duroque malorum
Nunc oppressa jugo, misero generata parente
Infelix soboles peccatis obruta semper.
Mittitur alter Adam melioris conditor aevi,
Induit humanos artus Sapientia Patris,
Virginis intactae proles certamine victrix
Omnia delevit totius crimina mundi.
Funere vivit homo, metuendo funere Christi:
Ima dies aderit, tumuli pandentur ubique,
Aeterna mercede boni dignaque fruentur,
Supplicio aeterno cruciabunt Tartara sontes.
Nonne fores pulsant Domini pia verba magistri?
Pulsari valvas ictu *graviore* frequenter,
Noveris, ecce datur nobis nova copia fandi.
Intumet unda maris, stridentibus horrida nimbis
Dira procella furit... quot venti proelia miscent!
Tela trisulca micant, reboantque tonitrua late,
Nox tegit atra polum, scopulis allisa dehiscit
Pinus, et aequoreo rapiuntur gurgite nautae.
Aucta truci vento nec flumine victa potenti
Flamma vorat duro constructa palatia saxo.
Horror ubique, leves volitant per inane favillae,

Augetur picea noctis caligine terror,
Membra ciet relevata toro penetrabilis ignis,
Consurgunt omnes, ululatibus omnia complent,
Hic scalas quaerit, pavidus petit ille fenestras,
Nulla salus scalae, paries jam torridus igne,
Obvius ecce vapor, quae prominet, alta fenestra
Ardet, et audacem rutilo vetat igne ruinam.
In cunis infans, baculo subnixus acerno
Torpet avus, lecto socrus devincta recumbit —
Intereunt omnes! Montana cacumina turgent
Congestis nivibus, Libyco solvuntur ab Austro,
Et tumefacta furit pluviis ingentibus unda,
Alveus exturbat fluctus, ruit aggere torrens
Perrupto vehemens, angusta magalia sternit,
Ecce boves violentus agit, rapit ecce capellas!
Heic inimica lues, saevi contagia morbi,
Pallor ubique, metus, sunt omnia clausa theatra,
Cantus ubique silet, revolutas arte choreas
Nemo plaudit ovans, non dulcia vina coronant,
Nulla ferunt opulenta dapes convivia lautas,
In vultu lacrymae, diffidunt omnibus omnes,
Ecce domi latitant, non est nisi forte coactus,
Cui tangi lubeat, medicorum poscere curas
Non audent aegri, truculentae vulnera pestis
Inviti ferrent, permultaque corpora morte
Strata petunt tumulos subducto sole, sacerdos
Iussus abest, et nola tacet! Fera bella geruntur,
Quae tumido peperit vesana superbia fastu,
Buccina rauca sonat, clangore vocatur ad arma
Conglomeranda phalanx, dat vulnera, vulnere turma
Plurima strata ruit, tumet ingens sanguine torrens,
Armis icta jacent foedata cadavera late,
Hostilem rabiem non virtus ulla coërcet,
Est rationis inops, saepe occiduntur inermes,

Et pereunt aegri flammis furialibus usti,
Incendunt urbes, spoliis potiuntur opimis,
Depopulantur agros, calcantur pascua, rura,
Flet Cereris vacuata penus, vindemia luget,
Nullus in ore pudor, nam laxat frena libido,
Nupta orbata viro, soboles orbata parente,
Semina morborum contracta, petentibus eheu
Mendicis alimenta negant — vae regibus (inquam),
Qui leviter sine jure cient feralia bella. —
Pulsari valvas ictu *graviore*, probavi!
Cruda fames et anhela sitis concussaque motu
Terra mihi superest, sed jam lassata silebo.
(R.) Qui *gravius* pulsat Dominus Salvator agendo,
Idem consuevit *gravius* pulsare loquendo.
Curarum Domini meminêre volumina passim
Edita divino calamo, meminêre dolorum.
Hortus eum condit, nocturna silentia circum,
Bis quatuor distant, trinique sopore gravantur
Discipuli, Jesumque diu tenet una latentem
Ima specus; subeunt totius crimina mundi,
Temporis elapsi subeunt, subeuntque futuri,
Carnifices subeunt, delira ferocia vulgi,
Electi quondam populi, subeuntque scelesti
Emolumenta sibi divino sanguine fuso
Nulla paraturi. (Referens horresco) suavi
Pallor in ore sedet, tremor est in corpore toto,
Incertique pedes, teneros it sanguis in artus,
Concretaeque comae, vestesque cruore madentes.
Tergora nodosis lacerantur fustibus, eheu
Scinduntur ferro, nec jam lassata quiescit
Militis atra manus; capiti dant spinea serta,
Infigunt spinas vehementibus ictibus hirtas,
Frons madefacta rubet, madefiunt tempora, vertex,
Et rubuêre genae, rubuit conspersa cruore

Vestis, acerba cohors sordente coinquinat almam
Heu sputo faciem, palmisque ferocibus eheu
Caedit ovans, irae jungit ludibria multa;
Viribus exhaustis capitis damnatur, iniqui
Exultant animo, parvum conscendere montem
Funereamque trabem tergo gestare jubetur.
Membra labant Dominusque cadit, stat fortis amore,
Iam cruce supposita distenditur, illico miles
Ecce manus terebrat clavis immitibus eheu,
Transadigitque pedes, crebris tremit ictibus arbor,
In qua pendet Amor, renovati Foederis Agnus.
Tundit amore fores crux una salutis origo!
(C.) Quae sine fine manent, nunc horrida regna recordor —
Aeterni vermes, aeternae incendia flammae,
Aeternae tenebrae, barathrum, coenosa cloaca,
Solamen miseris nullum, nullumque levamen,
Strident atque gemunt, ululant, convicia jactant.
Tundit atrox haec poena fores, haec poena perennis!
(P.) Ictus adhuc superest idemque *gravissimus* ictus:
Lex data Iudaeis... vibratur ab aethere fulmen,
Personat ecce fragor, coelum tonat omne tumultu
Horrifico, montem nubes densissima condit,
Ascendunt picei sinuata volumina fumi,
Buccina continuo sonitum ciet ore canoro,
Terribilis clangor — redeunt spectacula Sinae:
Corda hominum montes, sua quemque tonitrua terrent,
Fulgur eum, fumus, nubes et buccina terrent —
Semper enim Dominus legem fert voce potenti,
Intentatque minas... felix, qui subditur illi,
Si legem violes, subito pax alma recedit,
Viscera corrodunt vermes, cruciantur iniqui.
Fercula non prosunt, non prosunt pocula, somnus
Lumina non claudit, non prodest sermo facetus,

Otia non faciunt choreae, non festa theatra,
Non impurus amor, correpta volumina tabo.
Viscera corrodunt vermes: non laurea serta
Emolumenta parant, non vestis murice tincta,
Non laqueare domus, non auri copia fulvi;
Errantes oculi produnt certamina cordis.
Nulla quies homini, mens dirae conscia culpae
Et mordet sontes et duro verbere caedit,
Et pulsat Domini metuenda potentia valvas!
Ecce sui Jesus monumenta reliquit amoris:
Sanguinis imbre manus rubuêre latusque pedesque...
Quinque rosae vero (dictis advertite mentem)
Saepius ornarunt multorum corpora, nostis
Stigmata Francisci, crebro labentibus annis
Hae rediêre rosae, celebres Aloysia *), Palma —
Illa datur Belgis, haec est vicina Tarento,
Nobiscum vivunt his infelicibus annis.
Illa parente fabro, quem mors tulit, orta sorores
Prima aetate virens binas habet, atque labore
Lucra parat matri, cui semper curta supellex,
Cara Deo populique decus, celeberrima virgo.
Undis mersa citis jam suffocanda biennis
Extrahitur semiviva, lubens ancilla ministrat
Nocte dieque aegris Domini virtute puella,
Laesa furore bovis morbo decumbit acerbo,
Nec fundit lacrymas, nec rumpit pectore questus,
Uti discit acu parvo contenta salino.
Iam natale solum medicis ignota pererrat
Dira lues, fugiunt multi, timor occupat omnes,
Lustrat virgo domos, fovet aegros, prodiga vitae
Corpora dat tumulo, metuenda pericula temnit.

*) Lateau.

Morbis icta novis agitata doloribus aequo
Omnia fert animo, jamjam moritura parenti
Redditur, ut fiat Christi patientis imago:
Sunt humero dextro, manibus, lateri pedibusque
Stigmata, sunt capiti, vivus cruor omnibus exit.
Sexta quaque die, quae Jesu funere claret,
In coelum rapitur, spectat coelestia virgo:
Corpus iners, oculi torpent, immobilis haeret,
Sunt aures surdae, non ulla doloribus atris
Membra patent, horae praeterlabuntur, et uni
Virgo Deo vivit; fodiuntur tergora cultro,
Atque manus terebratur acu, par virgo — columnae.
Visa probant medici, nequeunt expendere causas,
Nescia virgo cibi, potus et nescia lecti;
Robora dant arae, quo semper vescitur, Agnus.
Certa fides, dubitare nefas, et nescio vere,
Num possit pulsare fores vehementior ictus.
(C.) Magna crucis virtus, invicta potentia raptus,
Divinique cibi! majoribus abdita quondam,
Et nobis demum reserata nepotibus... ictus
Hic posset vehemens clausas evertere valvas.
(P.) Falleris — accedunt multi, sed nobile quidam
Prodigium occultis malunt adscribere causis,
Et fraudis tacitae quidam vestigia quaerunt,
Illusamve putant mentis levitate puellam.
(C.) O miseros homines! oculos claudunt, ideoque
Esse negant solem.
(P.) Dominus jubet ostia pandi
Et digito et verbo, sed vox non fertur ad aures,
Ictus non fertur digiti... conclave tumultu
Oppletur scelerum, nec cardine valva movetur.
Surdorum est ingens numerus, sententia trita est:
Principiis obsta, sero medicina paratur,
Si longis crevêre moris peccata — negaret

Turba procax Dominum, si vectus nube curuli
Luce nitens multa coelo descenderet alto,
Redderet ore sonos, duroque simillima saxo
Heu ludi vana censeret imagine sensus.
    (R.) Est hoc surdorum conclave miserrima sedes,
Vestibulum tetrum (reor) illacrymabilis orci.
    (P.) Est aliud conclave domus — qui clauditur illo,
Non est surdus homo; nunc binas obstruit aures,
Nunc aures praebet. Si pulset caeca libido,
Auri sacra fames, quaerendi nominis ardor,
Illico porta patet, venientem laeta salutant
Labra, placet voces audire et reddere multas.
Christus adest foribus: diuturna silentia passim,
Rara manus valvas aperit, qui limina transit,
Non trahit ille moras, raptimque expellitur hospes.
Daemonas ista tenent conclavia bina feroces,
Est odio Christus, glaciali frigore torpent
Corda inimica Deo. Dulci caveamus amore
Detrimenta animae, semper caveamus, amicae.
Mors animae summum, saepe irreparabile damnum,
Huic collata malo sunt caetera damna minora.
    (R.) Una salus animae sit nostri meta laboris,
Praetereunt anni, cunis vicina sepulcra,
Omnia mors aufert, quae sedula cura paravit,
Non aufert virtutis opes, virtutis honores.
    (P.) Virtutem differre gradu, jam novimus omnes,
Ima tenent multi, nos autem summa petamus,
Dat veniam Dominus, dat vires ille roganti;
Imminet atra dies, tribuentur praemia nobis
Summa — placere Deo lucrum, decus atque voluptas.
    Nunc conclave novum vobis ostendo — puellam,
Quae lateri Jesu comes est, quae diligit illum;
Intus adest Dominus, manibus non pellitur unquam,
Sed contemplatur vultu moerente puellam.

Si causam quaeras — levioribus obruta culpis
Torpet iners virgo raro certamine victrix.
Est in amore tepor, devinctaque semper eodem
Haeret fixa loco.
(R.) Paulina, coloribus istis
Me reddis! Sum lampas ego, non pellitur igne
Umbra meo! Quoties tot jam labentibus annis
Me fore victricem verborum mole spopondi!
Vincor ego semper, quia non exerceor armis!
Laus adamare preces, decorare altaria mappis,
Atque sodalitiis dare nomina, fune ligari
Sancti Francisci — vincat certamine miles.
Segnis ego mulier — si trux me lingua lacessit,
Iam turbor vultu, juste reprehendor, et ecce
Torvi sunt oculi, toties morientis Jesu
Vulnera quina fleo, sed protinus aestuat ira,
Si me pungat acus,... quousque moveber arundo?
Me pugilem certare lubet!
(C.) Sociabor amicae
Coelestina tibi; me docta volumina mulcent,
Aerumnas referunt, Sanctorum proelia multa,
O caros libros, mihi sunt festiva theatra,
Specto fidem veram, specto certamen amoris,
Heroas miror coelesti carmine dignos,
Fert animus tandem vestigia clara virorum
Observata sequi, sed mox lassata revertor,
Tarda pedes moveo ceu cochlea — visa volare,
Non desunt vires, sum duro pigra labori,
Poscit opus virtus, ego malo reddere verba, —
O Jesu, quousque gelu mea corda rigebunt?
Omnia vincit amor, fervebunt pectora flammis,
Nonne petit leviora Deus gravioraque daemon?
Dant graviora mali, stultum leviora negare,
Est aerumna brevis!

(P.) Foedus pangamus, amicae!
Buccina rauca strepit, nocitura vocamur ad arma,
Iungamus vires, sit nunc exercitus unus,
Qui sparsi pugnant, facile vincuntur, at aegre
Turbae confertae, firmatur milite miles,
Coelestina moras Paulina Rosalia rumpant;
Sed quartum superest conclave, reconditur illo
Cara Deo soboles Domino praesente puella —
Ignibus ardet amor, ventorum turbine crescit,
Seditionis amans compescitur aegra voluptas,
Sanguineoque lupus depellitur ore tremendus,
Tartareusque draco nequidquam spicula vibrat,
Vincit ovans virtute crucis metuenda puella,
Orando certat, certando virgo laborat.
Virgo aliquando cadit, sed non est impetus acer,
Sed pugna praeeunte cadit, sed lapsa resurgit
Protinus, extemplo renovat medicina salutem.
En grave portat onus lassato tergore virgo,
Nec fundit lacrymas assueta doloribus ullas;
En gravius molitur opus, stat ferrea semper,
Dulce pati censet, dulcedine capta dolorum
Nollet abesse crucem; Dominus subridet, eamque
Defendit clypeo, castam sibi foedere sponsam
Jungit amans, moritur tandem ditissima virgo,
Jam coelo matura, caput radiante corona
Cingitur, aeterna fruitur mercede triumphans.
(R.) Nescio, quid referam, Paulina, stupesco puellae
Prodigium mirata novum. Te praedico, virgo!
Fert animus te, virgo! sequi, te praepete penna,
Candida virgo! sequi, sed pondere deprimor eheu.
Ecce *volare* vetor, *celerisve* per aëra *ferri;*
Turpe *jacere* mihi, mihi semper turpe *sedere,*
Repere turpe reor, vires tribuentur *eundi,*
Accelerabo gradus!

(C.) Vires tribuentur eundi,
Accelerabo gradus!
(P.) Vires tribuentur eundi,
Accelerabo gradus! Foedus pangamus, amicae.
(R.) Foedera pangamus!
(C.) Pangamus foedera!
(P.) Virgo,
Quae sine labe nitet, nobis bene vivere semper,
Det sine labe mori mansuraque praemia coeli!

IDYLLIUM VI.

JUSTINA, VICTORIA, REGINA.

(J.) Labitur exactis bis senis mensibus annus,
Labitur ima dies, mox ultima labitur hora:
Alta nocte poli clauduntur lumina somno,
Otia lassatis tribuenda. Venite, sorores —
Strata vocent, vigilemus adhuc, en luna refulget,
Astra micant, cieant nocturna silentia verba.
Tres sumus, unus adest, qui temperat orbis habenas,
Dulce Deo praesente loqui, meditemur amorem,
Quo Deus exardet — quo nos calefimus, amorem.
(V.) Docta soror Justina jubet, parebimus ambae,
Et sermone tuo, quo jungitur utile dulci,
Pelletur somnus. Si Paulus cultor eremi
Noctes insomnes egit, meditantibus annum
Horae tradantur binae — potiora sopore
Lucra animae!
(R.) Ducunt revolutas arte choreas,
Donec sole novo tenebrae pellantur opacae.

Dulce Deo praesente loqui — potiora choreis
Lucra animae! Justina (rogo), da verba salutis.
(J.) O Deus, immensi qui torques sidera coeli,
Aspice nos miseras, nostrisque laboribus adsis —
Hoc anno moriente tuum meditamur amorem.
(R.) Omnia dona Dei, quae nobis hic tulit annus,
Nemo referre potest, tametsi polleat acri
Ingenio, sudetque vigil, referensque senescat.
Litoris effusas ecquis numerabit arenas?
Munera plura Dei!
(V.) Rutilantia sidera coeli
Omnia quis numeret? Satis est, nonnulla referre.
(J.) Multa damus, si cuncta damus, si corde volenti;
Et viduae nummus multo pretiosior auro —
Corda librat non dona Deus. Victoria, prima
Da laudem Domino tribuenti corporis artus.
(V.) Sunt oculi bini, partes versantur in omnes,
Excellunt acie, vigiles sub fronte ministri,
Continuo sani coelum terramque tuentur,
Innumeri coeci semper caligine mersi!
Non fiunt magni, nisi simus lumine capti!
Si coeco nato solem spectare liceret,
Exultaret ovans, nec posset reddere verbis,
Quae cor sentiret. Deus, hoc celebrabere dono:
Lumina *fecisti*, mihi *dudum* bina dedisti!
(R.) Non armata vitro video longinqua, domusque,
Quam mons ille gerit, possum numerare fenestras,
Et nunquam medico, qui pharmaca ferret, egebam!
Hinc bona coecorum semper miserebor, eisque
Dona feram, sit dulce mihi relevare dolores.
Ne capiant oculi fors detrimenta, cavebo,
Et spectare vetor, quae vana superbia monstrat,
Et quidquid castum posset violare pudorem.
(J.) Sunt aures binae, facunda loquentibus ora,

Edimus ore sonos, vox reddita fertur ad aures,
Discere multa licet, teneras affamur amicas.
(V.) Aure carent multi, sunt multi voce carentes,
Aegre signa juvant.
(R.) Miser est Antonius eheu,
Est surdus mutusque puer — tamen ecce legendi
Scribendique simul Tito referente peritus,
Et versat librum, si templi advolvitur aris,
Et peccata notat calamo, calamoque sacèrdos
Verba dat attento.
(J.) Qua possint arte doceri
Hi miseri pueri, non investigo, fatebor:
Ingeniosus amor! Sed certe carior auris
Integra, lingua potens! Dominus, quem novimus omnes
Protinus auxilium surdis mutisque tulisse,
Plura dedit nobis.
(V.) Hinc grati saepe jubemur
Obturare aures patulas linguamque tenere.
(R.) Garrula lingua mihi studiumque immane loquendi,
Res audire novas placet — hic tollatur abusus.
(J.) Ecce manus binas variisque laboribus aptas,
Bis quini digiti, seriemque admiror eorum;
Si medicus mihi forte manum, digitum cubitumve,
Brachia si quisquam ferro truncaret acuto,
Infandum vulnus, languerem strata dolore,
Corpus iners, procul inde labor — quae taedia moestae!
(V.) Si virtus ignava pedum, si claudus egeret
Continuo baculo, si truncaretur acuto
Ferro, terrerer; manibus pedibusque valentem
Me video — Deus omnipotens sapiensque bonusque!
(R.) Triste malum cancer, solet immedicabile vulnus
Serpere — languebat mulier cruciata dolore,
Nares, labra, genas medici secuêre feroces:

Sana mihi facies, ad sidera tollere vultum
Semper ubique licet.
(J.) Quae semper dona feruntur,
Vilescunt facile, si sint erepta, placebunt.
(V.) Ossa, caro, sanguis, cor, intestina jecurque,
Pulmones, cerebrum, nervi, cutis... omnia membra
(Non ego sum medicus) nequeo sermone referre...
Omnia... dona Dei! sunt omnia rite locata!
Si careas uno? si morbo membra laborent?
Noctes insomnes, sunt pharmaca multa paranda,
Res angusta domi, nec spes est ulla salutis...
Nuper dira lues nostras impune per urbes
Saeviit, heu multos fati violentia stravit:
Nos sumus incolumes!
(R.) Annonaque semper abundat!
Et sua quaeque dies ter fercula, pocula praebet...
Magna penus Domini... mendici semper egemus,
Accipimusque stipem. Pretiosa pecunia Croesis:
At Deus omnipotens argentum montibus infert.
(J.) Pane carent multi, per compita turba vagatur,
Continuoque solet valvas pulsare domorum,
Pallor in ore sedet, tenuatae in corpore vires:
Dant homines obolum, censent, se multa dedisse,
Saepe repelluntur miseri, redeuntque, sed ecce
Allatrant illos, spargitque injuria virus.
Tristantes abeunt, imo suspiria corde
Moesta trahunt.
(V.) Heu saepe venit, cui plurima mento
Canities inculta jacet, qui sustinet artus
Innixus baculo... recreant opsonia fessum...
Vir precibus lacrymisque potens, majora rependet
Dona Deus.
(R.) Nuper laceris muliercula pannis
Accessit trepidans, effudit pectore questus,

Se viduam dixit, pueris se poscere panem,
Cui panem vestemque dedi... miserabar egentis.
Pepla, stolae, pallae mihi sunt, semperque fuêre,
Semper erunt... sunt dona Dei... do munera laudum,
Qui linum fecit, qui fecit serica fila.
Hinc procul a nobis vesana superbia semper...
Quî tumeat pauper, donoque superbiat amens?
Exornant corpus turpes sine lege puellae
Immemores leti... glomeratis vermibus esca
Corpus erit, cineres tumulo condentur et ossa.
(J.) Nobis ampla domus, nobis conclavia multa,
Et lecti molles, mensaeque, sedilia passim,
Scrinia, sunt altis suspensa aulaea fenestris,
Index horarum, lychni, fulgentia vasa.
(V.) Humida sunt miseris angusta mapalia, dono
Lucis egent, habitantque simul cum prole parentes.
Dant lectum tabulae, dant stramina condita sacco,
Linteolum lacerum, nec frigora culcita pellit.
Saepe casae desunt, recubatque sub arbore pauper!
(R.) Novimus, heu paucos Domino persolvere grates.
Dives avis, nummis, agris (miserabile dictu),
Qui toties sua strata petit totiesque relinquit,
Non meminit Domini. Non illi Virginis icon,
Funereaeque crucis, quae sanguine crimina lavit,
Nulla viri fortis, qui mundum vicit, imago,
Nullum vas illi, quod sacram continet undam.
Hic tamen est Croesus... circum sua lumina volvens
Subridet vultu, mendax: Haec omnia late
Sunt mea... dicit ovans. Potior mihi rusticus (inquam),
Nudus opum, sed corde calens, qui numen adorat.
(J.) Nonne canes domini gressus comitantur euntis?
Nonne movent caudas, Dominus si praebeat escam?
Ecce canes ratione carent... ratione potitur
Croesus... corda rigent, et pectora ferreus ambit

Thorax. "Progredimur!„ conclamat inhospita turba:
Regredimur potius... fructu cognoscitur arbos!
(V.) Cuncta metalla praeit latitans in montibus aurum:
Corporibus praestant animae. Sine fine manebunt,
Binae illis gemmae, nitido fulgore coruscant:
Ingenium tenebras odit lucemque requirit,
Et scelus exhorret, nutritur amore *voluntas*.
Nonne magistrorum mens est exculta labore?
Si placet, ecce licet veterum monumenta virorum
Volvere, verba cito calamo committere chartis,
Et sumus edoctae tenerae permulta puellae!
Sunt plerique rudes, quos nec docuêre parentes,
Nec ludi tenuêre diu; puerilibus annis
Nonnisi vulgares manuum didicêre labores.
Martha ancilla senex uni est addicta culinae —
Mentore semper eget.
(R.) Multis opulentior una...
Credit, quae Christus docuit! sapientia summa
Est divina Fides, est margarita corusca,
Quam mercator emit, qui vendidit omnia gaudens.
Rara Fides, heu sceptra tenet temerarius error...
Multi cuncta negant, quae Christi Ecclesia promit;
Omnia fortuito coiisse, Deumque animasque
Esse docent commenta rudes, est simius hirtus
Humanae sobolis proavus, mercede carebunt
Proelia virtutis... virtus est nomen inane,
Omnia mors finit!... Teterrima causa malorum,
Quae nos exercent, haec est doctrina scelesta!
Salve, cara Fides, mihi fons et origo salutis
Semper eras et semper eris, moritura Beatis
Associabor ovans Fidei virtute, canamque
Carmina laeta Deo!
(J.) Caros laudare parentes

Nunc juvat, imprimis dilectam extollere matrem.
Ipsa comes lateri Jesu venerabile nomen
Auribus ingessit nostris, patiensque laboris
Ipsa crucem docuit blando sermone puellas.
Consuluit nobis socio viduata marito,
Pontificemque pio semper dilexit amore.
Occubuit dudum morbo cruciata feroci —
Semper adest, vivit, nullis delebitur annis
Igneus ejus amor. Sat multa pecunia nobis...
At sumus indignae gaza meliore potitae
Romanae Fidei!
(V.) Sedi conjungimur illi,
Quae tenet imperium toto spectabilis Orbe;
Sedes cara Deo Fidei morumque Magistra,
Spes animosa bonis, terror flagrumque malorum,
Quam frustra exagitat delira superbia mundi,
Quam petit immanis, vafer, illacrymabilis orcus,
Et quae tartareis nunquam superabitur armis —
Roma caput mundi! — Carie vitiata jacebunt
Regna Deo pulso, populi plectentur iniqui...
Sed tu stabis adhuc immobilis, ardua rupes,
Donec summa dies det summam temporis horam.
(R.) Sedes Roma Pii, quo non praeclarior ullus,
Intrepidus, Magnus, fama super aethera notus,
Grandaevusque senex, cui circum tempora cani,
Qui fere ter denis victor fortissimus annis
Erudit atque monet, calcataque jura tuetur.
Volve oculos circum, miscentur cuncta tumultu,
Nullibi pax ridet, furor ambitiosus habendi
Tristia bella ciet, metuenda pericula belli.
O miseri populi... poenas a sontibus ille,
Ille (inquam) repetet, cui totus subditur Orbis.
Dulce Pio subdi, ramum felicis olivae
Offert lege Dei feralia bella coërcens...

Fitque Pius minimi, ramusque repellitur eheu.
O Pie, vive diu, tu nautae sidus amicum,
Tu precibus lacrymisque tuis compesce furorem
Commoti pelagi, nobis *tu* redde salutem!
(V.) Est Pius hoc aevo coeli memorabile donum...
O Pie, vive diu!
(J.) Coeli memorabile donum...
O Pie, vive diu, populis *tu* redde salutem!
Sed redeat Christus... coelo demissus ab alto
Tot mala perpessus, montisque occisus in ara
Omnia totius delevit crimina mundi
Sanguine, quem fudit. Quis tanti pondus amoris
Aestimet? Ecce insons pro sontibus omnibus unus
Mortem obiit, sociavit oves sine lege vagantes.
En virtute crucis, dum fonte renascimur, omnes
Abluta culpa candenti veste nitemus.
Fortunata dies nobis recolenda per aevum.
(V.) Infantes obeunt, nec tracta ab origine labes
(Horresco referens) sacro est detersa lavacro,
Et multi populi venerantur numina ficta,
Nec vestes lavêre suas lustralibus undis.
(R.) Carior ergo mihi cordis renovatio prima.
Unda dedit nomen, non est hoc nomen inane:
Exemplo Sancti dudum praeiêre, sequamur,
Nos virtute precum semper comitantur euntes.
Sit justi Justina tenax, Victoria vincat,
Me Regina regam.
(J.) Vestem maculavimus omnes
Immemores lymphae, toties maculavimus omnes.
Servamus cautae, quae sunt pretiosa, monile,
Carbaseam vestem, gemmas, argentea vasa;
Conditur omnino, quamvis non turgida nummis,
Parva crumena; salus perituri corporis hujus
Saepius ingenti curarum mole gravare

Anxia corda solet... minor est (heu) cura salutis
Aeternae.
(V.) Pluris fiunt, quae lumina cernunt,
Quae fugiunt oculos, passim leviora videntur.
Surgimus et cadimus, semperque aegrescimus eheu,
Numquam tuta salus, tandem mors imminet atra.
At virtute crucis sanantur vulnera, Christo
Divino medico referenda est gratia semper.
(R.) "Surgimus et cadimus,,! — memorat Victoria *clades*.
Saepe cadunt homines, renovato robore surgunt:
En Regina cano victricis praemia frontis,
Laurea serta cano puri vehementis amoris,
Quo caluêre homines Christoque agitante calescunt.
Nullum imbelle genus, decertant sexus et äetas
Omnis, agit laetos Domino spectante triumphos.
Quis numeret spicas viridesque in colle racemos?
Insignes pietate homines, Victoria, cense,
Si potes — est Christus virtutum dives origo,
Hunc uno trinae laudabimus ore sorores.
(J.) Templa patent nobis, sunt nostra theatra, Redemtor
Continuo renovat primae mysteria mortis:
Adsumus altari, sine sanguine caeditur Agnus —
Coelestes epulae saevi monumenta doloris:
Et redamatur amans, dant cordi fercula vires,
Subdere colla jugo, dare mollibus ora capistris
Saepe reluctantes Domini virtute jubemur.
Vena perennis aquae cunctis sitientibus ara!
Tanti fontis egent Calvini turba, sodales
Lutheri... sparsae pecudes, miserabile vulgus.
(V.) Chrysma linit frontes, morientibus humor olivae
Emolumenta parat, nanciscitur ecce ministros
Ara novos, ineunt laeti coniugia sponsi.

Quanta penus Christi! numquam consumta peribit!
Accipe, Christe, meas, infirmas accipe laudes.
(R.) Donec vita manet, Domini meditabor amorem.
(J.) In cruce parta salus, non est pretiosior arbos,
Crux mihi fida comes, non me terrebit Avernus,
Dulce pati... redamantis opus ne despice Christe.
(V.) Vita brevis!
(R.) Facilisque labor!
(J.) Mercesque perennis!

IDYLLIUM VII.

CLARA, THERESIA, FRANCISCA.

(C.) Horrendum facinus! vix possum reddere verba.
(F.) Clara, sede curasque doma — quae causa timoris?
(C.) Horrendum facinus! mihi non est copia fandi.
(T.) Rumpe moras, terremur enim — quae nuncia defers?
(C.) Dives opum Victor sub prima crepuscula noctis
Infelix — obiit.
(F.) Cuncti morientur...
(T.) iterque
Omnibus est unum.
(C.) Stricto se Victor iniquus
Suspendit laqueo.
(F.) Referunt mendacia multi.
(T.) Fama nefas auget, vires acquirit eundo.
(C.) Accedo puteo latices haustura, plateam
Garrula turba replet, clamore exterreor, undas

Linquo meas, portamque peto, qua clauditur hortus,
Cardine verto fores, eheu vox omnibus una:
Victor, quem nuper latebrosae carceris umbrae
Excepêre, riget curvo suspensus in unco;
Invenêre virum custodes, triste cadaver
Elatum est humeris — lacrymis dignissime Victor,
Cur libuit caedem fraudi sociare malignae?
(F.) Siste (precor)... moesto sunt saucia corda dolore —
Culpa oritur culpâ, merito dixêre Quirites:
"Principiis obsta,,!
(T.) Mater foecunda malorum
Auri sacra fames! Quanto felicior ille,
Qui latet obscurus proavis, cui curta supellex!
(C.) Pectoris alma quies fulvo non nascitur auro,
Conscia mens recti gazas supereminet omnes,
Haec autem multis sapientia stulta videtur.
O miseros homines! congesta relinquere dona
Vos jubet atra dies. Praestant mansura caducis...
Num tollit virtutis opes fur pervigil unquam?
Num rapiunt unquam stricto mucrone latrones?
Sunt fidae lateri comites, post fata sequuntur.
(F.) Non edit rigidas mollis ficulnea spinas:
Victor amans fraudum sancto non arsit amore,
Lex veneranda Dei non illi regula vitae.
(C.) Nulla fides, ubi nullus amor... sibi lucra parare
Semper ubique fuit praeduro meta labori,
Et quamvis fuerint celebres pietate parentes,
Non imitatus eos convivia praetulit aris.
Pulsabat longis singultibus ilia conjux:
Aenea cingebat saevum lorica maritum;
Pertaesus thalami multas quaerebat amicas.
(T.) Hinc cui nulla Fides, casu concussus acerbo,
Nil fore post mortem, quod turbet, censuit amens,

Et finem poni violenta morte dolori.
(F.) Est precibus quaerenda fides, oleoque lucerna
Si careat, tenebras non pellit lumine spissas;
Si petis, accipies, ni votis munera poscas,
Semper egenus eris... convivia praetulit aris
Inter opes mendicus opum.
(T.) Sapientia coeli
Addiscenda diu... didicêre fideliter artes
Ingenuas multi: torpentibus ultima Thule
Alma fides... Victor nugas adamabat aniles,
Nec placuit segni studiis intendere mentem.
(C.) Mors metuenda pio, nam justus lumine vitam
Explorat judex: Victori nulla salutis
Cura, mori voluit culparum mole gravatus.
Mens perculsa stupet... miseri sperare salutem
Forte vetor, gelidusque coit formidine sanguis.
(F.) Censent, saepe viros, qui se crudelibus ipsi
Interimunt manibus, sana ratione carere.
(C.) Forte carent, culpaque vacat fors effera caedes,
At rabies insana (reor) tribuenda frequenter
Criminibus, monstrumque ingens haec effera caedes.
(T.) Nec satis, accedunt patrata prioribus annis
Crimina, quae nondum sunt Christi sanguine tersa.
An Sponsi mensae polluta accumbere veste
Forte licet? metuo, ne Victor iniquus Averni
Condatur tenebris.
(C.) Vellem sperare, sed eheu
Spes mea fracta jacet. Semper diffidere nostris
Viribus, et cuncti per tot discrimina rerum
Coelesti semper confidere Patre jubemur.
(F.) Subdere colla Deo, felici occumbere leto —
Hic labor est vitae! Conquirant caetera stulti!
(C.) Saepius est Victor fraudem meditatus, iniqua
Fraude sua nocuit, multis labentibus annis

Fas omne abrupit... bonus autem sentibus hirtis
Exemisset ovem pastor, medicusque dedisset
Balsama vulneribus: lacrymis peccata piantur
Omnia — confestim — penitus. Potuisset in umbra
Carceris ex imo suspiria ducere corde
Victor, amore calens meritas expendere poenas
Criminis ultrices, meditari temporis hujus
Immensum pretium, veri certamen amoris
Discere continuo... tandem purgatus ut aurum
Dives opum laetus coeli penetralibus abdi.
Haec parvi fiunt sapientia verba... Viennae
Unaquaque die, si forte pecunia desit,
Si Lycida spreto quaerat Galatea Menalcam,
Se morti tradunt: obstricto guttura nodo
Rumpunt, merguntur fluvio, pereuntque veneno,
Comminuunt artus oppressi pondere, molle
Excutiunt ferro cerebrum...
(F.) Fortesque videri
Saepe volunt, quod agant violenta morte triumphos.
(T.) Qui fugit aerumnas, timidus, ni fallor, habendus.
(F.) Quem mala non vincunt, hic fortis!
(C.) Flebile dictu,
Mens hebetata mali miscet quadrata rotundis...
Num fortes lepores, volucres, felesque canesque?
Accede, et fugiunt! Qui praestat robore, miles
Non dat terga fugae, constans patientia — virtus!
(F.) Serpit dira lues ignota parentibus olim,
Incrementa capit — quae tantae pestis origo?
(C.) Exulat alma fides — ablata pecunia — duplex
Tanti causa mali. Croesi numerantur et Iri!!
Iris tolle crucem... jactantur in aequore vasto
Vortice mergendi. Dudum languentibus Iris
Hanc unam tabulam certae rapuêre salutis.
Clandestina cohors, qu[illegible] [illegible]argitur orbe,

Daemonis arte furens studiisque vaferrima belli
Virus ubique vomit sceptris inimica crucique.
(F.) Cur vero Croesi tantum numerantur et Iri?
Sunt illis tot opes, hi paupertate premuntur?
(C.) Invaluêre rotae, manuum pepulêre labores,
Continuoque ciet vesana superbia bellum.
Quid bello pejus? miscentur cuncta tumultu,
Diripiuntur opes, sternuntur vulnere patres,
Uxores viduae, proles orbata parente;
Non est pax hodie... permulta pericula belli,
Pax armata... malum, nam ferre tributa jubemur.
Et coëunt multi velato nomine fures,
Eliciunt miseris aurum, se lucra daturos
Ubera spondentes; mentitur lingua dolosa,
Lucra sibi servant, aurum non redditur unquam.
(F.) Regi jus gladii, cur non plectuntur iniqui?
(C.) Est scelus occultum... cuncti novêre sagaces,
Nemo probare potest. Nimia est clementia regum,
Impius heu raro capitis damnatur, et ipse
Carcer amoena domus, qua non potiuntur egeni.
Colluvies Erebi sibi fuso comparat auro
Fautores multos verbo calamoque potentes —
Sons sonti parcit... respublica fessa dehiscit.
(F.) Felices homines nati melioribus annis!
Quae morum pietas! quae nunc corruptio morum!
Anna mihi genitrix imo suspiria corde
Saepe trahens dixit: Metuenda nepotibus aetas
Eripiet Christum, gaudens hac exeo vita,
Nam passim leges Christo adversante ferentur.
(C.) Spernuntur justi, trucibus laxantur habenae,
Crux Domini Jesu nunc est ignobile lignum,
Maturi vitio pueri, putrescimus omnes.
(T.) Unde salus nobis, ubi pharmaca docta parantur,
Quae possint relevare gravem, quae tollere morbum?

(C.) Vana salus hominis... nisi supplice voce rogemus,
Ut Deus invicta virtute releget in orcum,
Qui nocuêre diu, truculentos daemonas omnes,
Nulla salus. Homines nunc dictatoris egemus,
Qui populos cogat renovato corde subesse
Numinis imperio. Christum revocate, potentes,
Reges et populi, vestras expellite leges,
Et pulso morbo respublica laeta resurget.
(T.) An tantus veniet dictator, et unde patebit?
(C.) Dictator veniet, dabit illum daemon iturus —
Ecce fami sociata lues, et sanguis et ignis —
Hic dictator erit... quatuor metuenda flagella!
(T.) Es vates praesaga, soror; si pharmaca prosint,
Praebeat illa Deus!
(C.) Noli me dicere vatem,
Me ventura latent, sed sum praesaga futuri,
Ex his, quae video, quae sunt ventura, revelo.
Heu mercatori tribuenda pecunia larga,
Sive cibos coëmas, seu vestes artubus aptes;
Sive domum vastam seu parva mapalia quaeras,
Omnia sunt passim pretio venalia magno.
Circumeunt multi, mendicant teste remoto,
Turba stipem rogitat pulsatis indice valvis —
Ecce puella *fames*, fiet matrona — parumper
Exspecta. Nunc addo *luem*... jam saepius urbes
Novimus Europae Cholera grassante feroci
Contremuisse metu; quot strata cadavera noctu
Sunt furtim tumulata cito! vacuata theatra,
Non choreae molles, non cantus otia dulcis,
Clamor ubique, dolor! crudi vis intima morbi
Semper adhuc medicis ignota, diuque latebit —
Sunt fune arcano divina haec torta flagella.
Bella recensebo, quae privant arva colonis,
Ardet ubique furor... ceu sternunt gramina falce:

Vulnera dant armis, caeduntur corpora, late
Sanguine terra tepet... vesana ferocia belli!
Nunc superest *ignis* — cecidisse palatia multa
Usta oleo petrae miseranda Lutetia novit.
Ecce fames, pestis, bellum flammaeque redibunt!
Unde sciam, quaeris... crescit regina per orbem
Impietas omne ausa scelus, quae numinis iram
Evocat horrendam. Sionis fata memento —
Straverunt urbem quatuor metuenda flagella!
(T.) Credimus, esse Deum, qui temperat orbis habenas,
Fiet, quod fieri vult! sunt mysteria regni
Coelorum nobis, humanae impervia menti.
Turbavêre lacum ventorum proelia, navem
Replevêre cito resonantes murmure fluctus,
Discipuli clamant: Jesu, miserere, perimus;
At Jesum sopor altus habet — consurgit, et unus
Imperio vocis ventos compescit et undas.
Orta quies *subito!* timidi carpuntur amici,
Et modicae fidei reprehendit verba magister.
Egreditur cymba Petrus, levis incubat undis,
Sed vento spirante timet, jam mergitur eheu,
Extensaque manu Dominus sustollit amicum,
Languentemque fidem dubiumque redarguit. Ecce
Vita mare est, nautis intentant omnia mortem,
Tempestas sine more furit, micat ignibus aether;
Corda hominum fluctus, tumefiunt daemonis ira —
Pone metum! confide Deo! sententia mentis,
Qua non est melior! Nostri Deus unus origo
Cordis; si Domini cor opus, renovabit amore
Cor idem Dominus. Renovandi tempora cordis
Ignorant homines; verbo Deus omnia fecit,
Pondus, mensuram, numerum sapientia rebus
Tempus item tribuit... num forte jubebimus illam

Praecipitare moras? Quorum cor ardet amore,
Innumeros homines hic vastus continet orbis.
Horum vita preces, clausi penetralibus orant,
Egressive domo montana cacumina scandunt
Oceanumque secant, alio sub sole calentes
Invisunt terras, quaerunt pia templa per urbes,
Et quae templa petunt? Domini celeberrima Corde!
Et loca sacra petunt, ubi Virgo apparuit olim,
Et peregrinantes concentibus aëra mulcent,
Atque fatigati vescuntur Foederis Agno.
Contra tartareas exercitus iste phalanges
Irruit in bellum, non vi sed vota ferendo —
Dicite, cujus erit victoria? Dicite quaeso...
Nonne decem justi pepulissent sulphuris ignem?
Et propter Joseph domui benedixit et arvis
Putipharis Dominus!
(F.) Precibus sine fine dolores
Associant homines, compluribus Anna diebus
Jejunat, caeditque (scio) sua terga flagellis,
Strata solum!
(T.) Quidam *graviori* forte dolore
Excruciant corpus. Sum docta volumine nuper,
Artus Elisae*), quum septimus ordine Romam
Imperio regeret Pius, acrem daemonis iram
Horribili cruciasse modo, cruciatibus esse
Fractas hostiles turmas, Romamque stetisse
Incolumem! Redeunt forsan miracula tanta,
Et par Elisae mactatur amoris in ara
Victima, quae vincat supremi numinis iram.
Nemo potest nostrum tantos perferre dolores:

*) Canori — Mora.

Viribus infirmi, quae sunt leviora, feramus
Pondera; sunt morbi, dirae convicia linguae,
Sunt carnes vetitae, jejunia, cordis agones,
Morosique senes, injecta cadavera busto,
Et brevior somnus, multi durique labores
Munera cara Deo... Cunctis est copia dandi.
Quidquid habes, offer, Domino tua dona placebunt.
Exemplo nos Anna praeit, vestigia dulce
Observata sequi — vindex sua fulgura ponet.
(F.) Nescio, cui credam, quatuor metuenda flagella
Me subeunt Clarae — precibus Theresia fusis
Aerumnisque putat sine vindice criminis ira
Posse cito blandae revocari tempora pacis.
Qui precibus lacrymas sociant, Theresia, pauci,
Quorum corda rigent glacialibus aspera ventis,
Turba frequens eheu toto spectabilis orbe;
Gens inimica Deo — vincenda superbia *poenis*,
Sed precibus poenae *minuentur!* Tertia vates
Sum Francisca, dies praeterlabentur, et ecce,
Quae melior fuerit vates, nos facta docebunt.

IDYLLIUM VIII.

ANTONIUS, BENEDICTUS.

(A.) Urbanos odi strepitus vulgique tumultus
Execror, elatis pretiosa palatia linquo
Divitibus... taciturna senem me traxit eremus:
Vestibulum coeli, locuples virtutis origo!
Hujus ego portenta canam felicis eremi.
(B.) Accedo socius... sed laus felicis eremi

Nec fidibus citharae nec carmine dicitur ullo.
(A.) Ecce sopor pueros mergit mergitque puellas,
At nostri vigilant oculi, decumbere lecto
Nolumus, est major nobis quaerenda voluptas.
Hic locus ante domum, cui circumfunditur aër,
Prominet excelsus, duroque sedilia saxo
Non cruciant artus, si quaeras gaudia noctis.
Sol abiit dudum dudumque ivêre calores,
Demulcent aurae jucundo frigore vultum,
Nulla polo nubes, en sidera luce coruscant,
Luna jubar fundit, pacatum sternitur aequor —
Sunt hujus placidae facunda silentia noctis!
(B.) Turba theatra petat, nobis potiora supremi
Vasta theatra Dei — trutina librare fideli,
Quae digiti fecêre Dei, sapientia vera!
Otia si quaeras sinceraque gaudia cordi,
Quaere Deum semper, praefer mansura caducis.
Plurima discuntur, tumidoque extollitur ore
Parta labore gravi longoque scientia, verum
Heu raro meminêre Dei! Deus Orbis origo!
Si praebes humana, vident — sunt lumine capti,
Si divina feras.
(A.) Coepisti reddere verbis,
Quae dicant placidae facunda silentia noctis;
Aurea verba probo, sed reddere plura memento,
Fert animus sociare tuis mea verba parumper.
Hoc mare, quod video, quod fluctibus alluit urbem,
Est maris immensi, quod terram cingere nosti,
Nonnisi pars... partisque sinum meditabimur hujus,
Est sinus angustus, qui nos a colle virenti
Separat adverso, sinus hic tibi cominus adstat.
Nec guttas numerare vales, nec pondus aquarum
Pendere, nec siccis pedibus transire per undas;
Non potes allapsos a littore pellere fluctus,

Non dilapsuros verbo revocare jubenti,
Tranquillos turbare nequis, componere saevos;
Eja voca ventos, da carbasa, plena tumebunt,
Tolle cito cautes, ne fors allisa fatiscat
Exagitata rates... te rident aequora, venti!
Disce subesse Deo, qui condidit omnia verbo,
Ille tulit leges, toto servantur in orbe,
Servandae nobis... sed stridula turba malorum
Daemonis acta dolo solio detrudere vellet
Auctorem mundi, fertur per devia praeceps,
Ausa negare Deum sibi vindicat Orbis habenas,
Omnia perturbat vesana feroxque propago.
Surge Deus, defende bonos, rabidosque coërce!
(B.) Parvus homo magnusque Deus, non misit in undas
Parvus homo pisces, Deus illos edidit unus
Oceano vasto, late complentur abyssi...
Mole graves, specie varii numeroque carentes!
Parvus ego... parere Deo labor unus in aevum!
Nunc oculis adversa meis protractaque longe
Litora spectabo: tironem prata docebunt,
Arrectasque lubens praebebo loquentibus aures.
Prata Deus pingui specioso gramine vestit,
Nullus homo... plaustris imponere falce resecta
Gramina novit homo... venerare colone potentem
Semper ubique Deum! Pecudes simasque capellas
Contemplare rogo... quis matres edere foetus
Jussit, vellus ovi tribuit, lac molle capellae?
Contemplare boves, toties dant munera carnis,
Cornua dant, pelles, foecundaque vacca ministrat
Lac, vitulos... haec unde tibi? Si corde volutes
Tanta Dei portenta miser, tunc percitus aestu
Stratus humi positove genu meliora probabis.
(A.) Nox tegit hunc collem, sed colli novimus esse

Arva, quibus gnavus docta cavet arte colonus.
Evellit lolium, glebae subiguntur aratro,
Semina tradit humo, pingues oriuntur aristae.
Quis flavas segetes locupletibus intulit agris?
Unde jubar solis? calor unde? quis imbris et aurae
Auctor? Erit semper verus Deus ipse colonus!
Saepius ardentem spicas succendere solem
Novimus, effusos imbres evertere messem,
Grandine praecipiti vastari culta! quis (inquam)
Crescere grana jubet? Si talia corde volutes,
Fundes ore preces, miserumque fateberis esse
Te, licet uberibus turgescant horrea lucris.
    Hortos collis habet, proceraque prominet arbos,
Truncus agit ramos, decorantur frondibus, ecce
Quot fructus insunt, magni gratique palato!
Arbos unde tibi? nonne est mirabile donum
Auctoris rerum, quem vidimus esse colonum?
Qui nunc est olitor? non tollitur arbor in horto,
Quae crescat virtute tua, dominatur eidem,
Quem mare, quem pratum dominum venerantur et arva.
Si jubeat numen, spoliatur frondibus arbos,
Poma negat, carie tabet, ruit icta bipenni,
Fulmine conflagrat, nequidquam frigus et umbram
Quaeres, illa... fuit! Domino servire memento,
Tu non es Dominus! — sed nunc accedite flores...
Candida vos adamat virgo, fulgetis in ara,
Mensarum tumulique decus, salvete! colore
Lumina mulcetis, mulcetis odoribus auras,
Innumerae vobis formae... pulcherrimus unus
Vos jubet esse Deus... noster labor irritus! ecce
Nemo rosas edit, violas aut lilia... nemo.
Docta puella quidem, vario dum serica fila
Ordine connectit, rara mirabilis arte,
Consociat flores... venalia serta... sed eheu

Languidus ille color, non fragrat odoribus aër.
Lympha riget flores, radientque decore venusti...
Tempus edax rerum, virtus tenuatur aquarum,
Deficiunt flores, tandem moriuntur; adesto,
Vivite! dic illis... tua vox it cassa per auras...
Subdere colla jugo, Domino servire jubemur.
(B.) Flores erudiunt homines, ego flore monente
Nunc reminiscor apum. Spernatur inutile vulgus
Fucorum, sed apum respublica carmine digna.
Sceptra tenet regina potens, mirabile dictu,
Subjiciuntur apes, non obluctantur, earum
Sollicitus variusque labor, sed tangere metam
Omnibus est curae, sunt arcto foedere vinctae,
Nobile fervet opus, servatur amabilis ordo.
Nunc exire domo, locupletes sugere flores,
Nunc juvat ire domum pretiosaque lucra referre,
Cera paranda favis, cellae conduntur in illis,
Ova tenent cellae, servant redolentia mella.
Ingeniosa cohors homini fert dona, sed uno
Tantum docta Deo... tu cera et melle potiris
Semper avarus homo, qui trux animalcula caedis.
Nemo magister apum, cervicem flecte superbam,
Disce subesse Deo.
(A.) Quis laudes collis amoeni
Dicere rite valet? divinae munera dextrae
Tanta patent nobis, ut mens meditata labore
Deficiat; multas offert hic collis apricus
Vites annosas foecundo palmite claras,
Pondere conspicui pendent ubicumque racemi
Pampinei, viridis rubicundave bacca tumescit...
Quis dare posse putet botros ignobile lignum?
Ecce cados replent spumantia vina capaces,
Huc accede, vide, series veneranda cadorum,
Vina reservantur mensae, venalia reddunt

Plurima lucra viris — sed nunc ego sciscitor ex te:
Unde homini vinum, quod lassos roborat artus,
Exhilarat mentem? praeclarus ubique locorum
Vinitor est unus, Deus est, qui protulit uvas!
Vinea tota quidem datur exercenda colono,
Non tamen est ejus vindemia parta labore...
Saepius heu graciles aegri rarique racemi;
Sol etenim torret, nimius demittitur imber,
Effera grando ruit, committunt proelia venti,
Et nequeunt homines rodentem tollere morbum,
Nulla datur medicina malo... Deus unus amoris
Uvarum dominus, sibi tradita munera servat
Semper avara manus; quaerenda pecunia! nonne...
Nonne merum miscetur aquae, fit copia major?
Nonne minor mensura dolo? variosque liquores
Associare juvat, corruptaque vina saluti
Detrimenta parant? late per compita fertur
Ebrius, ardescunt oculi vultusque rubescit,
Incertique pedes, delirat lingua, ruitque,
Stratus humi dormit turbarum dedecus ingens.
(B.) Urbs haec Justini nunc somno mersa quiescit,
Nunc artus reparat lassos, posuêre labores,
Et curas posuêre simul... quo carmine dicam
Munera tanta Dei! non haec mysteria somni
Pandere lingua valet, quia sunt impervia menti.
Eja voca somnum... morbo cruciatus acuto
Lumina non claudis, frustra tenuata volutat
Membra toro molli, si quem tenet anxia cura,
Aut rodunt vermes... i, quaere papavera, somnus
Non relevat vires, mentitur imago soporis.
Tu miser es, fateare rogo, rogo pone coronam.
Si placet, uberius meditabimur omnia nostri
Emolumenta tori: videamus lignea strata
Primaque fulcra tori, sunt laevia saepe, decora...

Unde tibi? dat ligna nemus succisa bipenni,
Ligna Dei. Tunc saccus inest, cui cannaba funes
Ac zea dant stramen, vilescit saccus, at illo
Semper eges, dic unde tibi... dant munera plantae,
Quis fecit plantas? huic sacco imponitur alter,
Cannaba dant illum, seta repletur equorum
Aut ovium lana... Deus haec animantia fecit!
Lintea sternuntur, fert linum textile munus,
Linum planta Dei; sunt pulvinaria lectis,
Cannaba sunt lanâ setâve referta, teguntur
Lino; gossipio constat tua culcita, plumis...
Estne tuus lectus? Dominus tibi commodat illum,
Donec agis vitam, lecto donabitur haeres.
Disce subesse Deo, cervicem flecte superbam.
(A.) Admiror pontum, quae circum volvitur, unda
Me rapit: oceano novus hic superincubat aër.
Est mare, sunt pisces homines, animalia cuncta,
Alta petunt volucres sublatae remige penna,
Ima tenent homines, animantia caetera; piscis
Fluctibus ereptus moritur, moreremur ubique,
Si Deus aëreas a nobis tolleret undas,
Si tenuaret eas, si condensaret, easve
Continuo infestis repleret odoribus; ecce
Respiras, semper respiras... cujus es ergo?
Nunc spirat lenis mulcetque Favonius arva,
Pulvereas moles Boreas nunc torquet in orbem.
Si raperet Boreas hominem, si mergeret undâ?
Saepe agitata ruit validis Aquilonibus ilex,
Oceanum turbant, montes volvuntur aquarum.
Qui fecit ventos, est sane fortior illis...
Temnere jussa Dei miserandus homunculus audet!
En picea nubes coelum caligine condunt,
Praecipitantur aquae, reboantque tonitrua late,
Tela trisulca micant... percelleris ecce timore,

Attamen insanis, tumida nam saepe resistis
Mente Deo!
(B.) Nunc lance diu libravimus aequa
Magna Dei portenta simul... majora supersunt.
Tolle oculos quaeso, lustra penetralia coeli,
Caeruleique poli nunc contemplare nitorem.
Lumina dant stellae, lux non extinguitur unquam.
(A.) Est divina manus, divina potentia tantum,
Quae tenet in spatio stellas, non ulla ruinam
Stella trahit: miseri languemus viribus omnes,
Saxa levare manu, si sint graviora, vetamur.
Ecce tuere globos, illorum pondera, moles
Nemo unquam poterit trutina librare fideli,
Nemo superficiem metiri. Percitus aestu
Me miserum dico, praeferre silentia vellem.
(B.) Plurima dant pueri, dant plurima verba puellae,
Taedia nulla movent, pater haec puerilia verba
Mater amat... sit dulce loqui; quae novimus, ista
Pandamus socii... jejuna scientia nostra
Cara Deo semper, si cor fervescat amore.
(A.) Pellimus assueto tenebras fulgore lucernae:
Forficulis ancilla suis ellychnia purgat,
Carbones aufert, oleum dat nobile vasi,
Flamma accensa nitet vitreo munimine tuta,
Paullatim fit flamma minor, poscitque liquorem
Lux incerta novum, quo semper alenda, sed eheu
Mota manu pueri lampas pervertitur, igne
Usta domus celeri, succensaque corpora luges.
Dat lucem stellis Deus omnibus unus, et haec est
Lux indeficiens, incendia nulla cientur,
Attamen astra Dei circum se voce rotantur...
Parvus ego magnusque Deus!
(B.) Laudabo lucernas,
Sidera fixa polo;

(A.) Ne dicas sidera fixa,
Sidera cuncta Dei circum se voce rotari,
Constat... sideribus novus omnibus impetus alter,
Impetus antiquis ignotus... cuncta moventur
Circa centralem solem, datur orbita cunctis.
(B.) Doctrinam didicisse novam mihi grata voluptas...
Sol centralis ubi?
(A.) Latet hoc mirabile sidus
Astronomos omnes; quis nostrum naviget aequor
Immensi spatii? sed forsan dicere praestat,
Esse Deum centrum... sunt sidera cuncta planetae.
Nec sidus turbat sidus, pulcherrimus ordo,
Legibus aeternis Deus omnibus imperat astris,
Et leges violare nefas! sed pondere pressus
Deficio prorsus paullumque quiescere malo.
(B.) Hunc circa solem divina lege rotantur
Omnia nocturni radiantia sidera coeli!
Immensae moles, quas nullus mente recenset;
Non guttas pelagi, non litoris ullus arenas,
Quamvis ingenio praestet, numerare valebit:
Et tamen Oceano fines et limes arenis...
Immensum spatium! sine limite! sidera ubique!
Sidera sideribus ferme connexa videntur:
Dissociata ruunt, sunt maxima crede locorum
Intervalla! Dei suprema potentia coelo
Teste patet, cervix hominum flectenda, suave
Est parere Deo, cordis detergere sordes.
Aeternum esse Deum novi, novique potentem:
Scire parum prodest, jejuna scientia mentis!
Eheu me latuit praeclara scientia cordis,
Non meditabar opus supremi numinis — orbem.
Praeteritos annos utinam revocare liceret!
Plurima sunt juveni sane discenda, sed almus
Est potius discendus amor... ni corde volutes,

Quanta Deus fecit, concreto frigore torpes.
(A.) Me ludi tenuêre diu, docuêre magistri,
Quanta cruci virtus, sed crebro frigidus ore
Exibat sermo... quî flammis corda calescant?
Ignes ede prius, si vis accendere ligna.
Plurima nunc juvenes discunt, se discere nolunt —
Linguarum lustrant penetralia, temporis acti
Annales, fluvios et montes, oppida, regna;
Describunt plantas, animantia, cuncta metalla,
Naturae vires... oneratque scientia mentes,
Obruit infelix... heu tandem stulta recedit
Gens ignara Dei, quem non quaesivit in Orbe.
(B.) Fundamenta locat, qui vult attollere muros,
Semina tradis humo, si vis decerpere fruges,
Ardua bella gerunt, sunt danda phalangibus arma:
Nobis meta Deus, famuli servire jubemur!
Debilis omnis homo, virtus hoc nosse, potentem
Praesentemque Deum semper videamus ubique,
Altera flagra manus, virides tenet altera palmas.
(A.) Dulce jugum Domini, pater est, pater optimus ille,
In cruce parta salus, fidei dat nobile munus
Atque spei... munus quoque consociabit amoris.
Est haec vita brevis, Dominus venit, ostia pulsat:
Esto vigil, cito pande fores, tibi coena paratur.

BEATISSIMO PATRI

PIO PP. IX

DECIMO SACERDOTII LUSTRO

DIE X APRILIS MDCCCLXIX

LAPSO.

CARMEN

Barbite cara veni, viridi circumdare serto,
Barbite rumpe moras, barbite quaere modos,
Quaere modos, inquam, solemni carmine dignos:
Dulce modis addent labra canora melos.
Roma vocat celerem, rapior fugientibus alis,
Et flavi Tiberis sacra fluenta peto.
Roma Petri sedes, vastum regina per orbem,
Roma Pii sedes, Roma beata, vale!
Turba ruunt clangore nolae, per templa *sacerdos*
Nobilis imperio fertur amica *senex.*
Aurea collucent rutilis altaria flammis,
Et multis adolent thura Sabaea focis.
Et feriunt aures placidi modulamina cantus,
Vocibus elatis organa laeta sonant.
Ordo sacerdotum stipat venerabilis aram,
Purpureus fundit coetus in aede preces.

Quid rapit effusos mira dulcedine sensus?
    Dicite, laetitiae quae sit origo novae.
Rara dies, pretiosa dies, bis quinque recedunt
    Lustra, senex offert munera larga Deo!
Scilicet haecce dies omnes memoranda sorores
    Anteit, et revocat gaudia *prima* Pii,
Quem dederat sanctis altaribus esse ministrum
    Praesulis augusti sacra potensque manus.
Alma dies, mihi cara dies, exulto beatus,
    Grandaevoque Patri vota *secunda* fero.
Quanta sacerdotis dilapso temporis aevo
    Ubertas operum! copia quanta precum!
Tristia fata vocant, resecantur stamina falce,
    Omnia diffugiunt interitura bona:
Una manet virtus virtutum mater, et una
    Non moritura poli regna beata petit.
Est aurum argento melius: magnoque *Joanne*
    Quinto jam lustro major in orbe *Pius*.
Ventorum furiis annoso robore quercus
    Tunditur, et ridet pondere tuta minas;
Turbine pulsatur, quae prominet aequore cautes,
    Fluctibus obsistit non removenda loco:
Roma Caput mundi Christi munimine fortis!
    Irrita vis hominum Tartareusque dolus!
Quis nemorum frondes pelagique recenseat undas?
    Quis referat vasti sidera sparsa poli?
Non impar numero tenebris emissa propago
    Te Fidei columen gens malesana petit.
Gens adversa Deo calamo metuenda profano
    Horrificâ miscet tetra venena manu.
Laudibus extollant calicis redolentia mella:
    Corda rigent duro funeris icta gelu!
Et qui continuis terram moderatur habenis,
    Heu negat insipiens gens inimica cruci!

Depascit juvenes lascivi flamma furoris,
    Illecebrosa viris damna libido parat;
Nullus honor thalami pretioque puella pudorem
    Vendit, adhaerescit perfida nupta proco.
Crescit amor nummi, furor exitialis habendi,
    Atque scelus sceleri jungit avara cohors.
Fraudibus et furtis erecta palatia surgunt,
    Fercula festa dapum, vina Falerna placent.
Aurea fulcra toris, ignavaque corpora somno
    Extenuant longo sole ciente diem.
Et canibus lepores agitant silvasque fatigant,
    Balnea conquirunt sulphure mista gravi,
Et choreas adamant, spectacula stulta theatri,
    Imperioque ruit biga trahentis equi.
Multa joci rabies, ludorum coeca cupido,
    Scurra loquax nugis otia noctis agit.
Impatiens freni fastigia quaerit honorum
    Turba ferox, laudum non satianda fames.
Aere juvant miseros vesanaque gloria dextram
    Una movet, miseros utilitate probant.
Membra gravet morbus, crucient convicia linguae,
    Dilabantur opes: occupat ora dolor,
Transadigunt gladio violenti pectus acuto,
    Aequore merguntur, dant aconita sibi.
Sed testudo sile, facunda silentia praestant.
    Gens inimica Deo, gens inimica sibi!
Detrudit solio reges profugosve trucidat,
    Regnaque perturbat seditione potens.
Colluvies Orci tenebrarum principis iram
    Excoquit, huic paret libera visa sibi.
Clandestina cohors vastum diffusa per orbem
    Imperio sicae gens metuenda furit,
Cui caput est unum, cui plurima membra ministrant,
    Aris et soliis tristia damna parat.

Hanc stulti nocuisse negent, et larga tulisse
Munera pauperibus vulgus inane putet:
Larva tegit faciem, teneri simulantur amores,
Et decepta canit carmine turba duces.
Si lupus ore ferox caulas terreret opimas,
Arma pararentur, nec raperentur oves;
Hinc lupus exuvias placidus mentitur ovinas,
Sanguineoque ruit vulnere caesa bidens.
Quis neget, immenso splendescere sidera coelo,
Caeruleum ferri per vada salsa mare?
Quis neget, halantes redimiri floribus hortos,
Pinguibus ornari frugibus arva neget?
Quis nivibus canis horrere cacumina montis,
Quis glacie fontes obriguisse neget?
Quis neget insidias tenebrosae gentis? in antris
Aere potens multo, foedere vincta gravi,
Continuis agitat vesanum motibus orbem,
Omnibus irrepens semper ubique locis.
Haec Te turba petit, Christi grandaeve sacerdos,
Cui niveum cingit sacra tiara caput.
Sed Deus omnipotens duri solatia casus
Larga tulit: *mundi* Te veneratur *amor*.
Intueor campos: alte radicibus haeret
Infixis arbor luxuriosa comis,
Umbrarum generosa parens, onerata decoris
Fructibus, et volucres condit amica sinu.
Prodiga ramorum circum sua brachia pandit,
Caraque fert unus pondera truncus ovans.
Haec sponsam Christi felix designat imago,
Quam regis imperio, dux venerande, Tuo.
Qua Boreas, Zephyrus, qua spirant Eurus et Auster
Christiadae laeti *munera* sacra ferunt;
Pontificumque chorus sociali foedere vinctus
Pontificum capiti jungitur ecce Tibi!

Infelix lolium sane vitiavit aristas:
  Sed flavescit adhuc uber opima seges.
Horrea semper adhuc tumidis numerosa redundant
  Frugibus, et mensis fercula grata parant.
Claustra tenent homines, condunt penetralia multos,
  Quos juvat ardenti fundere corde preces,
Nec dare membra toro, sed amica silentia noctis
  Continuis votis associare lubet;
Oscula fida cruci libare prementibus ulnis
  Cordibus admotae semper ubique placet.
Crux regina domus fulvo pretiosior auro
  Et gemmis potior dulce salutis opus.
Aequoreas magnes moderatur vela per undas:
  Coelorumque Fides nobile pandit iter.
Plurima turba viam carpit generosa salutis,
  Et fugit errorum devia certa pede.
Est *unus* radius solis septemque colores
  Protinus, ut docta solvitur arte, refert:
Unus amor pia corda rapit, complectitur idem
  Igniculos multos, unaque flamma rubet;
Granaque multa sinu pinguis conduntur aristae,
  Plurima spumantis labitur unda maris.
Est thalami jurata fides, bona sponsa maritum
  Diligit, et roseo virgo colore nitet.
Sacra puella Deo connubia respuit, odit
  Murmura rauca fori tutave claustra petit.
Abditur in latebris venerabilis ordo virorum,
  Quorum non stipat foemina vincta latus.
Divitias odisse placet, nec pectora vexat
  Argenti nitidi sollicitudo gravis.
Parva domus, brevis ecce penus, nec larga supellex,
  Vel quaerit tenuem dextera lenta stipem.
Subdere colla jugo permultis cara voluptas,
  Sobria non mulcet corda profanus honor.

Et macilenta premunt avidas jejunia fauces,
    Et tremulos artus torquet anhela sitis.
Dira flagella sonant, lacerantur verbere terga,
    Atque brevem somnum dura ministrat humus.
Progenies dilecta Deo, qua supplice cunctis
    Pacis oliva tumet, bella cruenta silent.
Hanc Padus et Ganges, Rhenus Rhodanusque Tagusque,
    Tigris et Euphrates, Nilus et Ister adit;
Flumen Amazonium, celsis verticibus Atlas,
    Oceani tellus ore salutat ovans.
Hac tanta sobole felix laetare, sacerdos!
    Infremuêre lupi-caula recondit oves.
Haec Tua, sancte Pater! moesti solatia cordis,
    Haec tergit lacrimas alma corona tuas. —
Te quoque sacra phalanx coelorum sede potita
    Diligit, et clypeo tela trisulca fugat.
Pone metum, grandaeve senex, Tibi *Virgo* patrona!
    Ecce nitet solis candida luce stola,
Bis senis sublime caput redimitur ab astris,
    Et lambit niveos luna supina pedes;
Aligeri juvenes modulantur carmina voce;
    Tetra venena draco fauce tumente vomit.
Virgo parens, Aurora novi tu nuntia Solis,
    Tu regina potens, *semper* amica Deo!
Polluit ecce genus contracta ab origine labes:
    Tu melior cunctis nescia labis, Ave!
En rosa consurgit foliorum dives in horto,
    Tegmine sublato, quae latuêre, *patent.*
Grana reconduntur flaventia mollis aristae,
    Verber adest quatiens: omnia grana *patent:*
Sic veterum monumenta *patent,* oracula mundo
    Esse docet felix ore potente Pius!
Macte igitur virtute senex, quem novimus ista
    Virgineo capiti serta dedisse nova!

Haec Tua continuum fulget mansura per aevum
    Gloria, Tu moriens non morière, Pater!
Sed noli, pie Pastor, adhuc occumbere leto,
    Te nova Pontificem pulchra corona manet.
Imminet alma dies, qua toto percita mundo
    Copia laeta Patrum limina sacra petet.
Te duce Pontifices jungentur in aede beata,
    Flamine divino, Virgine tuta phalanx.
Luna fugat tenebras, quum coelo plena refulget,
    Pellitur haec eadem sole ciente jubar:
Comitiis regni tribuantur munera laudum,
    Sed quae Concilium lingua diserta canet?
Heu lànguent homines morborum tabe nefanda,
    Fundamenta ruunt, regna caduca labant.
Dic ubi nascantur vesanis pharmaca morbis?
    Cujus erit medici gens relevanda manu?
Crux medicina malis, hac nulla potentior unquam,
    Pharmaca stulta *fori:* crux medicina malis.
O Pie, dexter ades, caramque senilibus ulnis
    Tolle crucem! populis da, Pater alme! crucem.
Jungere Pastori miseris inimica Polonis,
    Ruthenia! et celeres laeta referto pedes.
Jungere Pastori dilapsa Britannia prisco,
    Te genuit, cari grata memento patris.
Jungere Pastori fortis Germania prisco,
    Te genuit, reduci brachia tendit amans.
Jungere Pastori Batavorum parva caterva,
    Et cito Jansenii desere castra tui.
Fatane praesago venientia carmine canto?
    Delirumne capit noctis imago dolis?
Utile sit faustumque precor, quod promere laeto
    Corde juvat, votis annue, Christe, meis.
Corda move regum, populorum corda movebis,
    Unus amore tuum Pastor ovile regat!

Dives opum tandem da serae lumina morti,
Et dulcis patriae sede potire, Pie!
Aëra sulcabunt, qui findunt aequora pinnis,
Oceani fluctus ala secabit avis;
Non dabit ardentes vastatrix flamma calores,
Alpibus horrendis aspera bruma nives;
Et primum repetent redeuntia flumina fontem:
Nostra tui semper corda movebit amor,
Atque tuos memori cantabimus ore triumphos,
Et nova progenies exoritura canet:
"*De cruce crux! Longoque Pius certamine felix*
Fortibus en multis fortior unus erat!,,

P. T.

EPISCOPO TERGESTINO ET JUSTINOPOLITANO

BARTHOLOMAEO LEGAT

EXACTO EPISCOPATUS ANNO VIGESIMO QUINTO.



Alma dies rediit Romano sacra Leoni
    Et nova laetitiae fert documenta piae!
Semper cara dies, quoties labentibus annis
    Gramine foecundo ver decorabat humum,
Luce hodie meliore nitet carissima nobis
    Hoc frondes nemori vere ferente novas!
Scilicet est lustri jam quinti nuntia lapsi,
    Dum bonus hoc nostrum pastor ovile regis!
Infula Pontificis, capitis pretiosa corona,
    Qua praesit populis auctoritate, docet.
Ceu, dum sol roseo montana cacumina vestit
    Lumine, diffugiunt astra minora poli:
Non secus imperio, qui Sponsae consulit Agni,
    Eminet, ac regum sceptra minora latent.
Sed quorum laeti fidibus celebramus honorem,
    Saepius hos agitat sollicitudo gravis:

Infula continuis exercet tempora spinis,
    Et raras carpit dextera fessa rosas —
En fremit Oceanus, montes volvuntur aquarum,
    Et venti immanes incubuêre salo;
Non solis radii, non edunt lumina stellae,
    Et reboat tonitru, tela trisulca micant,
Fert cautes ratibus, fert saeva pericula Syrtis,
    Et fragiles naves dira procella quatit.
Unde salus nobis? demens sapientia mundi
    Humano generi plurima damna tulit.
Una salus Christi, sapiens dementia prodest,
    Unâ salvatur naufraga turba cruce!!
Verum odêre crucem (dicamus imagine demta)
    Aut meliora vident, deteriora probant:
Errores adamant, quos foeta superbia finxit,
    Et nolunt Fidei subdere colla jugo;
Turpe nefas adamant, quum sit regina libido,
    Nec nivei cordis gaudia pura placent;
Corraduntur opes, manibus servantur avaris,
    Fraude, dolo, soboles, vi gladioque potens;
Indomitâ curâ tumidos venantur honores,
    Et pede continuo culmina celsa petunt!
Hinc virtute crucis populi vincantur oportet,
    Et certam miseris ferre jubemur opem.
Classica rauca sonant, vasto contendere campo
    Fert animus semper, classica rauca sonant:
Te duce congredimur, Te nos praeeunte magistro,
    Nec mora nec requies, classica rauca sonant,
Te duce congredimur, felix certamine victor,
    Turpe sit, ignavos carpere prata fugâ! —
Fallimur, an sacro cor hoc exaestuat igne?
    Sed fervent hodie corda probante Deo!
Parce, Pater! nobis — cor tot pugnantibus unum!
    Bella sacerdotes dant metuenda bonos!

En, quod torpet iners, squalet rubigine ferrum,
    Vomeribusque decus gleba subacta parat!
Exemplo rapimur! Decertat ubique locorum
    Turba sacerdotum robore fulta Dei!
Ore, manu, calamo furialia proelia miscent,
    Et plaudunt Superi, Tartara saeva tremunt! —
Obstupuêre animi, subitus tremor occupat artus:
    Saepe ruit victus Marte furente gigas!
Ecce negat radios oleo viduata lucerna,
    Sed redeunt oleo lumina parta novo;
Ecce negat fornax lignis spoliata calorem,
    Protinus inde struem, flamma resurgit edax;
Deficiunt vires, stomacho si fercula desint,
    Si cruciet fauces fontis egena sitis,
Prome cibos ori, da vina rubentia linguae,
    Et pede praecipiti vasta per arva ruis —
Vis immensa precum! Renovantur languida corda,
    Inveniet quaerens accipietque rogans!
Tradita sunt nobis praeclara volumina, lustret
    Hos nocturna libros atque diurna manus!
Lustravêre homines, quos alti regia coeli
    Continet: o socii! Nonne sequemur eos?
Corruet alta domus, cui non benedixerit Agnus:
    Fundere corde juvat, fundere voce preces!
Est Deus in nobis, sacris operamur in aris,
    Convivis Agni mensa parata jacet,
Qua nulla est potior: rabidos virtute leones
    Vincimus hac esca sanguineoque scypho! —
Dente Theonino nos rodat inhospita turba,
    Terribilesque vomant dira venena typi;
Pendamur minimi, dementis fabula vulgi,
    Et bona surripiat fortis avara manus;
Finibus ejecti patriis sine sede vagemur,
    Et premat innexas dura catena manus;

Pectora transadigant plumbo, metuenda securis
    Sanguine conspergat colla, ruatque caput —
Ardua nos terrent certamina: tradet eundi
    Supplicibus vires, qui jubet ire Deus!
Occubuisse viros immensa Lutetia fortes
    Scit, velut ignis edax omnia vincit amor!!
Crux dilecta vocat, crux nostri meta laboris,
    Vilescant vitae dona caduca brevis,
Munera quaeramus, quae sunt mansura per aevum,
    Nullus ubi turbat saucia corda dolor,
Dulcis ubi soboles caro sociata parenti
    Concinit aeternum voce beata melos!
Aurae vela vocant!! Christi venerande sacerdos!
    Haec Tibi sincero pectore vota damus.
Nos omnes hodie, dum sacra caesus in ara
    Occubuit Christus victima cara Deo,
Nos omnes hodie clamavimus ore: Memento
    Praesulis augusti, qui tibi servit amans,
Redde, Deus, nostro largissima dona parenti,
    Qui tribuit natis munera larga suis,
Et veniat pretiosa tuo sapientia coelo,
    Qua fretus magnum pastor ovile regat;
Dives opum tandem, quum summa vocaverit hora,
    Aeternae patriae nobile carpat iter!

P. T.

EPISCOPO TERGESTINO ET JUSTINOPOLITANO

BARTHOLOMAEO LEGAT



Felix *prima* dies, qua sacra tingimur unda,
Cor lotum nivea veste refulget ovans,
Qua tribuente Deo Christi sociamur ovili,
Haeredes coeli dicimur atque sumus!
O miseras gentes, quae nunquam fonte renatae
Heu simulacra colunt exagitantve crucem:
Nos genus electum, summo generata parente
Dives opum soboles... o pretiosa dies!
Te pia labra canunt, quum nos renovata salutas,
Immemoresque tui non licet esse bonos. —
Fortunata dies, qua mensae accumbimus Agni,
Prima datur pueris Corporis esca Sacri.
Astra petunt latebras, quum solis promitur ignis:
Anteit haec regum fercula Coena Dei.
Omnes Coena vocat, seu vestis fulgeat ostro,
Seu villosa tegat seu lacerata latus.
Coena famem generosa ciet, nec adire frequentes
Alma vetat, nunquam flet viduata penus.

Cara *secunda* dies, quum nos renovata salutas,
 Irrigat assiduas lacryma fusa genas. —
Si nos *magna* rapit reclusi fontis, amicae
 Major adhuc Coenae carmine digna dies:
Tertia demulcet tanta dulcedine sensus,
 Ut nequeat citharae voce potente cani.
Haec est cara dies, qua sacrae nos dedit arae
 Omnes ejusdem Praesulis uncta manus.
Maxima jure dies binas virtute sorores
 Vincit, et in casto pectore fervet amor.
Offerimus Patri manibus trepidantibus Agnum,
 Solvere peccati vincula dura juvat.
Laudibus extollant regum diademata vates;
 Sole sacerdotum candida luna minor;
Et partis tumeat vesana scientia lucris:
 Nos tutam patriae pandimus ore viam;
Qui corradit opes, elata fronte superbit,
 Nec stipe mendicum mulcet avara manus:
Nobis parva penus, sed raptus amore sacerdos
 Multa suis tribuit non peritura bona;
Nam custodit oves, nec pinguia gramina desunt,
 Depellitque sitim fons salientis aquae.
Quo laeti ferimur? Tantarum munera laudum
 Novimus ecce omnes esse tributa Deo,
Quo servis auctore datur veneranda potestas:
 Quidquid habet servus, tradidit unus herus!
Salve igitur regina dies, te quinque salutant
 Lustra... bono Patri reddere vota juvat!
Aurea Pontificis circumdedit infula frontem,
 Volvit ubi placidas Sontius amnis aquas,
Adriacique maris patulas revocatus ad oras,
 Tollit ubi celsas urbs opulenta domos,
Ille sacerdotes quinto mox mense cadente
 Nos unxit *primos!* Bartholomaee Pater!

Accipe natorum concordia vota benignus,
Atque diu nostrum, Pastor! ovile rege;
Infremuêre lupi, tetri velut agmine facto
Infestant caulas circumeuntque pecus...
Tolle crucem, venerande Pater! rabiemque coërce,
Silvarumque petent antra remota lupi!
Nulla quies operi, metuenda pericula vitae,
Sed vires acuet Christus opemque feret!
Grandaevus tandem, duro certamine lassus
Sede quiesce poli, Pastor Jesus ovem
Te bonus excipiat!... Rapuit nos fervor ovantes,
Lustra salutamus quinque!... sed ora metu
Pallescunt, trepidantque pedes, it sudor in artus:
Fulgure qui citius praeteriêre, dies
Libramus trutinâ... naevorum conscia mens est!
Lance probat justâ... pectora nostra Deus...
Quae nostris oculis, fratres, leviora videntur,
Forte Dei summo sunt graviora foro!
Grana tamen paleis sociantur inanibus eheu,
Estque viatorum pulvere sparsa toga!
Parce, Deus! lacrymis, Judex! tua fulmine pone...
Te sit amare lucrum! Te sit amare decus!
Cur semper Zephyro gracilis quatiatur arundo?
Nonne ilex ventos ardua vincit ovans?
Pallida mors validos prosternit falce gigantes:
Si caleat flammis, omnia vincit amor!
Et strue lignorum nunquam saturabitur ignis:
Et "satis est,, nullo tempore dicit amor!
Verba movent, exempla trahunt! Dum facta loquuntur,
Saepius heu verbis labra opulenta silent!
Donec vita manet, bellorum cuncta tumultu
Miscentur: tetri daemones arma movent,
Arma movent homines, quos efferus edidit Orcus:
Dic... quibus haec armis vincitur atra phalanx?

Prosunt arma precum, prosunt jejunia multa!
    Haec docuit Christus: nos decet eja sequi
Hortantem Dominum... dabitur victoria nobis,
    Temporibusque dabit laurea serta Deus!
Vita volat pernix, sunt cunis proxima busta:
    Nos mansura vocant otia cara Dei!
Sylvula nos omnes hodie complectitur una:
    Nos omnes capiat numinis alma domus!
Nemo absit nostrum!... Sed non heic adsumus omnes:
    Novimus, heu fratres occubuisse duos,
Nemo fores coeli penetrat, nisi candida vestis
    Eniteat! Maculas torrida flamma lavat!
Parce, Deus, sociis — Agni superata cruore
    Flamma potens cedat! Limina pande poli!
Felices tecum semper spatientur in horto,
    Fragrantesque rosas carpat amica manus!

EPISTOLA.



Versus, rumpe moras, penetra pia septa Pisini,
Hermagorae cari limina quaere senis,
Oscula da vesti, quae texit corporis artus
Lustra decem, vesti, quae veneranda nitet.
Hispida — sed lanam Tyrio bis murice tinctam
Anteit, est pretio lucida gemma minor.
Fortunate senex Francisco nate parente,
Cui tulit immensus munera tanta Deus!
Salve festa diės, nubes procul ite vagantes,
Caeruleus nitido splendeat igne polus,
Et fugiant vetiti turbare silentia venti,
Nec ferat alpinas aspera bruma nives!
Salve festa dies, sociantur gaudia fratrum,
Nos quoque, cane senex, adsumus ecce tibi.
Non opulenta ferunt nostrae tibi munera dextrae,
Sed depromta damus pectore vota pio.
Dividimur spatio: te continet Histria tellus,
Nos urbem colimus, quam rigat unda maris.
Nescit amor fines, libratur praepete pennâ,
Dissociata locis foedere nectit ovans,
Ecce sacerdotes festis operamur in aris,
Et celeri fugit laeta juventa pede:

At subit illius genialis imago palestrae,
  Cui tua consuluit sollicitudo gravis.
Imberbes pueros Tu nos, pater alme, regebas,
    Te moderante viri nos docuêre pii.
Te Deus incolumem longos servavit in annos,
    Continuo columen praesidiumque tuum.
Fortunate senex, nobis felicior unus,
    Cui tulit ingentes pauper eremus opes. —
Auri sacra fames vesanum commovet orbem,
    Mendaci varios evocat arte dolos;
Fur struit insidias, fulvum sibi vindicat aurum,
    Latro viatorem nocte silente necat:
Turpe nefas auri dudum *vetuêre* trisulco
    Fulmine Sinai culmina sacra jugi;
Sed *licet* aeternâ servata lege metalla
    Quaerere, sollicitâ conglomerare manu:
Te regit auspicio *melior* sententia, Christi
    Consilio fretus tu bona cuncta fugis. —
Ferrea sceptra tenet lasciva licentia, corpus
    Attenuat macies, nullus in ore pudor.
Impatiens freni juvenis per devia fertur,
    Raraque virgineo flore puella nitet.
Furtivas sequitur conjux temulentus amicas,
    Occulto quaerit crimine nupta procos.
Turpe nefas dudum *vetuit* Deus, ignibus urbes
    Sulphureis, orbem vindice mersit aqua:
Connubii vero semper *venerabile* nomen,
    Sancivitque tori vincula sacra Deus:
Te tamen allexit *melior* sententia, Christi
    Consilio fulges virginitatis amans. —
Fert homini duras regina superbia leges,
    Nec placet injecto subdere colla jugo,
Et genitus patri, genitrici nata resistit,
    Et famulus blandi jussa recusat heri.

Exardet populi rabies, furor arma ministrat,
Pelluntur reges fractaque sceptra jacent.
Turpe nefas *odit*, qui torquet sidera coeli,
Corripuit saevum poena cruenta scelus.
At sua cuique *placet* libertas, ecce viator,
Donec jure licet, se duce carpit iter:
Te tamen attraxit *melior* sententia, Christi
Consilio patribus subderis ipse tuis.
Te rector septi semper moderatur habenis,
Protinus et gaudens, quo jubet ire, volas. —
Felicem decies hominem, qui percitus aestu
Effugit insani multa pericla fori!
Volvitur ante aras supplex manibusque supinis,
Et Deus arrectâ percipit aure preces.
Tempora flammato labentia corde volutat,
Et rogat aeterni gaudia sacra poli.
Est altare domus, qua delectatur, et Agnus
Placando offertur victima cara Deo,
Continuaque manu praeclara volumina versat,
Quae coeli angustam nos docuêre viam.
Corde calens verboque potens dat pabula multis,
Ictibus horrendis ferrea corda quatit.
Cominus accedit miserorum plurimus ordo,
Irriguis lacrimis crimina foeda lavat.
Unde sacerdotes haec tanta potentia ditat?
Concha bibit lymphas, *tunc* bona reddit aquas.
Hac moti ratione viri te laudibus ornant,
Et magni fratrum laeta corona facit. —
Vive Deo, venerande senex, da semina sulcis,
Et flavae segetis munera falce metes.
Vis gelidae mortis vires supereminet omnes:
Bella parent hostes, omnia vincit amor.
Ignis flamma vorax, nullâ satiabur esca:
Et nova semper amor lucra paranda petit.

Vive Deo, venerande senex — si pondere fessus
    Forte labas, valido fortius ito pede.
Vita levi spumae celerique simillima telo
    Diffugit, immitis mors sua quemque manet:
Vita eadem vero longum mansura per aevum,
    Et virtute crucis mors moritura cadet.
Astra poli mirare, senex, taciturna renident,
    Aeternae patriae quaere viator opes.

EPISTOLA.



Limina quaere Patris generosi carmen amoris,
    Funde modis citharae dulcia vota seni!
Falce rapit juvenem, cui floret temporis aetas,
    Falce rapit curvâ mors metuenda virum:
Sed Pater est noster multis felicior unus,
    Grandaevusque senex nectit in orbe moras!
Flecte genu, venerande senex! et numen adora,
    Vir bone! fac magni munera tanta Dei.
Saepe graves annis baculo firmantur acerno,
    Lassa manus trepidat pesque vacillat iners;
Saepe graves annis morbo terebrantur amaro,
    Et volvunt duro saucia membra toro:
Tu soboles dilecta Deo non frangeris aevo,
    Robur inest membris voxque sonora labris.
Flecte genu, faciles gaudenti pectore vultus
    Indue, cerne viros, quos sociavit amor.
Adsumus ecce tibi concordi foedere vincti,
    Gaudia nostra boni jungimus ecce tuis.
Est aurora redux orituri nuntia solis,
    Ver vocat aestatem, prima secunda ferunt:
Ecce *senecta* Tibi rarissima *festa* paravit,
    Festa sacerdoti dulcia cara bono:

Aëra percellit ditissima nola sonorum,
Undique laetantes conglomerantur oves,
Templa nitent, arae flammis melioribus ardent!
Adsumus ecce Tibi, pastor amice, veni,
Te vocat alma dies, qua te dedit esse ministrum
Altaris sacrum praesulis uncta manus.
Haec memoranda dies omnes regina sorores
Anteit, est pretio regia gaza minor.
Quotquot eunt anni, nobis hic Lucifer ortus:
Hanc Tibi *lustra decem* lapsa tulêre diem!
Vestibus augustis circumdare protinus, uni
Concine ter felix carmina sacra Deo!
Imperio vocis coeli penetralia lustra,
Et gladio verbi victima caesa jacet!
Quanta sacerdotis nullum delenda per aevum
Gloria! Quo sacro jure potitur ovans!
Lumine sol oriens montana cacumina spargit:
Et cito diffugiunt sidera cuncta poli:
Ecce *sacerdotem!* Vilent regalia sceptra,
Nec placet exornans laeta corona caput.
Tolle oculos circum: multos in orbe magistros
Invenis, ingenii dant documenta sui.
Undique tironum numerosum cogitur agmen,
Auribus arrectis verba polita bibit.
Enumerant plantas, reserant occlusa metalla,
Bruta maris pandunt, quae tenet aër, humus.
Montes atque lacus, fluvios urbesque recensent,
Et referunt lapsi temporis acta graves.
Linguarum leges, antiqua volumina promunt,
Quae numeri praestent emolumenta, docent.
Commoda sanandis norunt medicamina morbis,
Enarrant rauci jura severa fori.
Stellarum moles, iter, intervâlla recludunt,
Astra notant digito, quae latuêre diu.

Tanta parat vastae *sapientia* pabula menti!
    Sed collaudat opus, confiteare (precor),
Non docet auctorem — *sapientia sacra* beatum
    Coeli ostendit iter, spes, amor atque fides!
Vilia tecta casae circumvolat ales hirundo,
    Sed nubes aquilae stridula penna petit!
Tiro bonus populo Christi das verba magister,
    Cordaque demulces, nec sinis esse fera.
Pastor oves adamas, tribuit bona pascua gramen,
    Dulcis aquae saliens ejicit unda sitim.
Est doctrina crucis *regina scientia* nobis,
    Tolle crucem populo, desipit omnis homo.
In cruce parta salus, hac tu virtute triumphos
    Victor ages, fugiet turba profana procul.
Sint alii celsis erecta palatia saxis,
    Fercula festa dapum, pocula grata meri,
Sint Tyriae vestes, argenti pondus et auri:
    Omnia labuntur, busta cadaver habet.
Lucra sibi gnavus quaerit meliora sacerdos,
    Dives opum fidei fertur ad astra celer.
Cor virides botros, cor flavas promit aristas,
    Horrida non illis pondere grando nocet.
Dona ferunt anni, brevioris munera vitae
    Larga, senis vero copia major erit.
Quidquid habes, serva, Christi venerande sacerdos!
    Quidquid habes, auge, funera certa monent!
Semper avara manus coelis tribuenda reservet
    Lucra, placet Superis semper avara manus. —
Damna tamen subeunt heu tristia temporis acti,
    Peccatis subeunt damna parata feris.
Nescia peccati non est nisi Virgo beata,
    Saepius insontes intepuêre viri!
Det veniam reduci, det collo brachia circum
    Aeternus genitor: poena luenda manet

Cara *secunda* dies, quum nos renovata salutas,
Irrigat assiduas lacryma fusa genas. —
Si nos *magna* rapit reclusi fontis, amicae
Major adhuc Coenae carmine digna dies:
Tertia demulcet tanta dulcedine sensus,
Ut nequeat citharae voce potente cani.
Haec est cara dies, qua sacrae nos dedit arae
Omnes ejusdem Praesulis uncta manus.
Maxima jure dies binas virtute sorores
Vincit, et in casto pectore fervet amor.
Offerimus Patri manibus trepidantibus Agnum,
Solvere peccati vincula dura juvat.
Laudibus extollant regum diademata vates;
Sole sacerdotum candida luna minor;
Et partis tumeat vesana scientia lucris:
Nos tutam patriae pandimus ore viam;
Qui corradit opes, elata fronte superbit,
Nec stipe mendicum mulcet avara manus:
Nobis parva penus, sed raptus amore sacerdos
Multa suis tribuit non peritura bona;
Nam custodit oves, nec pinguia gramina desunt,
Depellitque sitim fons salientis aquae.
Quo laeti ferimur? Tantarum munera laudum
Novimus ecce omnes esse tributa Deo,
Quo servis auctore datur veneranda potestas:
Quidquid habet servus, tradidit unus herus!
Salve igitur regina dies, te quinque salutant
Lustra... bono Patri reddere vota juvat!
Aurea Pontificis circumdedit infula frontem,
Volvit ubi placidas Sontius amnis aquas,
Adriacique maris patulas revocatus ad oras,
Tollit ubi celsas urbs opulenta domos,
Ille sacerdotes quinto mox mense cadente
Nos unxit *primos!* Bartholomaee Pater!

Accipe natorum concordia vota benignus,
  Atque diu nostrum, Pastor! ovile rege;
Infremuêre lupi, tetri velut agmine facto
  Infestant caulas circumeuntque pecus...
Tolle crucem, venerande Pater! rabiemque coërce,
  Silvarumque petent antra remota lupi!
Nulla quies operi, metuenda pericula vitae,
  Sed vires acuet Christus opemque feret!
Grandaevus tandem, duro certamine lassus
  Sede quiesce poli, Pastor Jesus ovem
Te bonus excipiat!... Rapuit nos fervor ovantes,
  Lustra salutamus quinque!... sed ora metu
Pallescunt, trepidantque pedes, it sudor in artus:
  Fulgure qui citius praeteriêre, dies
Libramus trutinâ... naevorum conscia mens est!
  Lance probat justâ... pectora nostra Deus...
Quae nostris oculis, fratres, leviora videntur,
  Forte Dei summo sunt graviora foro!
Grana tamen paleis sociantur inanibus eheu,
  Estque viatorum pulvere sparsa toga!
Parce, Deus! lacrymis, Judex! tua fulmine pone...
  Te sit amare lucrum! Te sit amare decus!
Cur semper Zephyro gracilis quatiatur arundo?
  Nonne ilex ventos ardua vincit ovans?
Pallida mors validos prosternit falce gigantes:
  Si caleat flammis, omnia vincit amor!
Et strue lignorum nunquam saturabitur ignis:
  Et "satis est,, nullo tempore dicit amor!
Verba movent, exempla trahunt! Dum facta loquuntur,
  Saepius heu verbis labra opulenta silent!
Donec vita manet, bellorum cuncta tumultu
  Miscentur: tetri daemones arma movent,
Arma movent homines, quos efferus edidit Orcus:
  Dic... quibus haec armis vincitur atra phalanx?

Prosunt arma precum, prosunt jejunia multa!
    Haec docuit Christus: nos decet eja sequi
Hortantem Dominum... dabitur victoria nobis,
    Temporibusque dabit laurea serta Deus!
Vita volat pernix, sunt cunis proxima busta:
    Nos mansura vocant otia cara Dei!
Sylvula nos omnes hodie complectitur una:
    Nos omnes capiat numinis alma domus!
Nemo absit nostrum!... Sed non heic adsumus omnes:
    Novimus, heu fratres occubuisse duos,
Nemo fores coeli penetrat, nisi candida vestis
    Eniteat! Maculas torrida flamma lavat!
Parce, Deus, sociis — Agni superata cruore
    Flamma potens cedat! Limina pande poli!
Felices tecum semper spatientur in horto,
    Fragrantesque rosas carpat amica manus!

EPISTOLA.



Versus, rumpe moras, penetra pia septa Pisini,
Hermagorae cari limina quaere senis,
Oscula da vesti, quae texit corporis artus
Lustra decem, vesti, quae veneranda nitet.
Hispida — sed lanam Tyrio bis murice tinctam
Anteit, est pretio lucida gemma minor.
Fortunate senex Francisco nate parente,
Cui tulit immensus munera tanta Deus!
Salve festa dies, nubes procul ite vagantes,
Caeruleus nitido splendeat igne polus,
Et fugiant vetiti turbare silentia venti,
Nec ferat alpinas aspera bruma nives!
Salve festa dies, sociantur gaudia fratrum,
Nos quoque, cane senex, adsumus ecce tibi.
Non opulenta ferunt nostrae tibi munera dextrae,
Sed depromta damus pectore vota pio.
Dividimur spatio: te continet Histria tellus,
Nos urbem colimus, quam rigat unda maris.
Nescit amor fines, libratur praepete pennâ,
Dissociata locis foedere nectit ovans,
Ecce sacerdotes festis operamur in aris,
Et celeri fugit laeta juventa pede:

At subit illius genialis imago palestrae,
  Cui tua consuluit sollicitudo gravis.
Imberbes pueros Tu nos, pater alme, regebas,
    Te moderante viri nos docuêre pii.
Te Deus incolumem longos servavit in annos,
    Continuo columen praesidiumque tuum.
Fortunate senex, nobis felicior unus,
    Cui tulit ingentes pauper eremus opes. —
Auri sacra fames vesanum commovet orbem,
    Mendaci varios evocat arte dolos;
Fur struit insidias, fulvum sibi vindicat aurum,
    Latro viatorem nocte silente necat:
Turpe nefas auri dudum *vetuêre* trisulco
    Fulmine Sinai culmina sacra jugi;
Sed *licet* aeternâ servata lege metalla
    Quaerere, sollicitâ conglomerare manu:
Te regit auspicio *melior* sententia, Christi
    Consilio fretus tu bona cuncta fugis. —
Ferrea sceptra tenet lasciva licentia, corpus
    Attenuat macies, nullus in ore pudor.
Impatiens freni juvenis per devia fertur,
    Raraque virgineo flore puella nitet.
Furtivas sequitur conjux temulentus amicas,
    Occulto quaerit crimine nupta procos.
Turpe nefas dudum *vetuit* Deus, ignibus urbes
    Sulphureis, orbem vindice mersit aqua:
Connubii vero semper *venerabile* nomen,
    Sancivitque tori vincula sacra Deus:
Te tamen allexit *melior* sententia, Christi
    Consilio fulges virginitatis amans. —
Fert homini duras regina superbia leges,
    Nec placet injecto subdere colla jugo,
Et genitus patri, genitrici nata resistit,
    Et famulus blandi jussa recusat heri.

Exardet populi rabies, furor arma ministrat,
Pelluntur reges fractaque sceptra jacent.
Turpe nefas *odit*, qui torquet sidera coeli,
Corripuit saevum poena cruenta scelus.
At sua cuique *placet* libertas, ecce viator,
Donec jure licet, se duce carpit iter:
Te tamen attraxit *melior* sententia, Christi
Consilio patribus subderis ipse tuis.
Te rector septi semper moderatur habenis,
Protinus et gaudens, quo jubet ire, volas. —
Felicem decies hominem, qui percitus aestu
Effugit insani multa pericla fori!
Volvitur ante aras supplex manibusque supinis,
Et Deus arrectâ percipit aure preces.
Tempora flammato labentia corde volutat,
Et rogat aeterni gaudia sacra poli.
Est altare domus, qua delectatur, et Agnus
Placando offertur victima cara Deo,
Continuaque manu praeclara volumina versat,
Quae coeli angustam nos docuêre viam.
Corde calens verboque potens dat pabula multis,
Ictibus horrendis ferrea corda quatit.
Cominus accedit miserorum plurimus ordo,
Irriguis lacrimis crimina foeda lavat.
Unde sacerdotes haec tanta potentia ditat?
Concha bibit lymphas, *tunc* bona reddit aquas.
Hac moti ratione viri te laudibus ornant,
Et magni fratrum laeta corona facit. —
Vive Deo, venerande senex, da semina sulcis,
Et flavae segetis munera falce metes.
Vis gelidae mortis vires supereminet omnes:
Bella parent hostes, omnia vincit amor.
Ignis flamma vorax, nullâ satiabur esca:
Et nova semper amor lucra paranda petit.

Pampinus exultat, plenis tumet uva racemis,
Calcantesque dabunt dulcia vina pedes.
Nec mora, luctantur glomerato pulvere venti,
Et latet in tenebris sol fugiente die;
Undique concrescunt nubes, ruit aethere torrens,
Verberat insontem grando nivalis humum.
Vinitor ingeminat fletus (sunt damna salini),
Torpet iners, terror saucia corda quatit. —
Omnia labuntur, nihil est sub sole perenne,
Intereunt subito parta labore gravi.
Vita levi spumae celerique simillima lymphae
In sola stabilis mobilitate fugit,
Praecipitique volat rapido violentior Euro,
Fulmineoque ruit non revocanda pede.
Ah quid opima tibi mensarum fercula prosunt
Haustaque non paucis vina Falerna scyphis?
Quid Tyriae prosunt vestes? quid larga supellex?
Ah quid equis prodest acta quadriga citis?
Quid prosunt gemmae? quid raptum montibus aurum
Altaque caelato marmore picta domus?
Lictorum fasces et Consulis atra securis,
Laurea serta ducum quae tibi lucra parant?
Caesaries intonsa perit venustaque cervix.
Tempus edax rerum, cuncta, Camille! ruunt.
Nascimur et morimur, foveâ tumulamur inertes,
Vita volat lapso facta quadrante minor.
Servus et ingenuus, mulier, vir, dives, egenus,
Nata, parens, sapiens insipiensque rigent;
Rusticus et civis, peregrinus et incola terrae,
Et puer imberbis concidit atque senex.
Omnia mors aufert veteri generata parente,
Omnia praeciso stamine cruda metit.
Uritur hic flammis aut saevo caesus ab hoste
Corruit, irato mergitur ille mari.

Labitur hic praeceps tecto dejectus ab alto,
Illum subsidens ampla vorago rapit.
Fulgure continuo gemini perimuntur euntes,
Et sociata mero dant aconita patres.
Horribilive cadunt terebrata cadavera bello,
Imperiove truci pestis acerba furit.
Plurima turba ruit variis languoribus icta,
Pharmaca non relevant, membra supina jacent:
Deficiunt oculi, vox haeret, inertia mentem
Occupat, et mortis pallet in ore color.
Quid juvat inde patens pectus lacerare cruentis
Unguibus et cineri jungere velle comas?
Quid juvat immanes jactare per ora lacertos
Et rapido niveas spargere fonte genas?
Quid juvat ex imo suspiria corde ciere,
Et trepida moestos edere voce sonos?
Mortis avara manus non reddit funera, torpent,
Nec priscae repetunt limina cara domus.
Omnia subduntur morti, regina per orbem
Sceptra tenet, nullo rege domanda tenet.
Non arcent mortem spectacula stulta theatri,
Quae videt armato lumine turba procax.
Non arcet mortem choreis ancilla puella,
Quae movet effreni tortilis arte pedes,
Seu numerosa ferit vocali pectine chordas,
Seu fundit molli gutture dulce melos.
Non arcent mortem nocturnae pocula mensae,
Dum sociat ludis turba faceta jocos.
Non arcet mortem nemorum venator amicus,
Dum cane turbatus pervolat arva lepus.
Non arcet mortem, qui regna perambulat hospes,
Diligit in thermis otia dives iners.
Omnia subduntur morti! Quid fercula morti,
Pocula quid dicunt? Quid nisi: necte moras?

Omnia subduntur morti! Somnoque gravata
    Corpora quid dicunt? Quid nisi: necte moras?
Vivere te, censes; sed falleris, ecce, Camille!
    Tu *lenta* occumbis *morte* — memento mori!

FINIS.

